JOHANNIS CRELLII FRANCI
PRIMA
ETHICES
ELEMENTA

In gratiam studiosæ juventutis.

Opus posthumum.

RACOVIÆ
Typis Pauli Sternacii.
Anno Christi 1635.

PETRVS MORSCOVIVS à Morscovv
STUDIOSÆ IUVENTUTI S.

Vino (ajunt) vendibili suspensâ nihil opus est hederâ. Nec opusculum hoc, dilecti Musarum alumni, ullum orationis lenocinium requirit: quod ut Phidiæ signum simul fuerit conspectum approbatores inveniet facile, sive remipsam, cui immoratur, cõsideres, sive modum, quo eam pertractat, intueare. Nam res quidem ipsa, cujus hîc prima proponuntur elementa, est illa omnium mater artium, animi medicina, donum, ut Plato ait, ut verò Cicero, inventum Deorum; Philosophia moralis. Modus verò, quo vultus, ut ita dicam, ejus adumbratur ejusmodi, ut optandum esset, extare plures, qui eâdem viâ teneros ingenuæ pubis animos ad illam honestatis regiam dirigerent, & velut prehensâ manu ducerent. Nec enim intra limites theoreticæ illius (liceat mihi sic illam vocare) praxeos consistit, definitiones videlicet, & divisiones solas ad practicæ methodi leges exactas, ut fecere nonnulli, qui eandem divam vigiliis suis, in lucem produxerunt: sed verè practicè, & ut moralem Philosophum, id est, animi medicum decuit, sanitatis ac morborum animi fontibus commonstratis, quæ & illi quâ parandæ, quâ conservandæ, & his pellendis faciunt, fideliter aperit & dilucidè perse-

quitur. Salutaria verò illa præcepta & animi medicamina non e triviò petit, & à pedariis senatoribus, aut proletariâ turbâ, sed ab ipsis illis Semonibus & Corypheis Philosophorum. Quorum ipsorum oculi sicubi connivent, aut cæcutiunt, (ut evenire necesse fuit, ideoq; cùm veniâ errare licuit iis, qui naturali tantùm lumine gaudebant) videbis & hîc parcè quidem, sed tamen quod Iuventuti satis est, affundi lucem ab illo cælestium oraculorum sole, qui omnes ignorantiæ tenebras fugat, & unamquanq; rem in vero suoq; vultu spectandam exhibet. Nempe ut Zeuxis Helenam Crotoniatis picturus, pulcherrimæ mulieris ideam ex optimis quibusq; exemplis collectam habebat in animo: ita vir incomparabilis Ioannes Crellius augustam Ethicæ faciem juventuti effigiaturus, non unius aut alterius in ponendis ejus lineamentis judicio stetit, sed quod in unoquoq; illorum, qui ingenij sui penicillo ipsam depinxerunt, eximium animadvertit, id hîc sibi ponendum & sub uno velut obtutu exhibendum censuit. Atq; utinam ille ipse libelli hujus editionem adornasset aut relegisset saltem, & recognoscendo sub incudem decumati judicii sui revocasset omnia, fallor aut habuissent hîc tyrones illud, quod alibi frustra requiras: viam videlicet quæ sine ambagibus duceret, & manuductorem,

qui

qui ad ipsa divinæ Ethices adyta sine nauseâ perduceret. Sed enim ille fœtum hunc, quem ante multos annos effuderat veriùs, quàm enixus erat, vix pro suo agnovit; ut verò tolli curaret nullis amicorum precibus & persuasionibus adduci potuit; certe vitalem futurum, nunquam animo concepit. Cùm enim modestiæ simul & candoris vivum exemplar esset; & deproperata ista sibi propter incipientes, quorum spei tunc erat admotus, ac proinde non ita amussitata dicebat, ut delicatuli hujus seculi palato satis facere possent; nec eadem sibi nunc penitus arridere, quæ tunc placuerunt omnia. Innuebat videlicet se nimis anxio pede tum Aristotelis orbitam pressisse, qui uniuscujusq; virtutis naturam in mediocritate positam censuit. Noster autem id non semper ita habere ex divinis oraculis postmodum se comperisse asseverabat. Vnde cùm, ut hoc ipsum, quale esset, penitus excuteret, ideoq; resumpto in manus libello, quæ nigrũ theta mererentur induceret, alia vero relamberet, & exornaret sæpius instaremus; ille qui cupiebat omnibus esse omnia, hoc quidem facturum recepit, nunquam tamen quenquam, ut sub suo nomine hoc opus lucem aspiceret, effecturum spopondit. Verùm ille, qui suum supra nos negotium agit, hîc etiam ut, quod utriq; non expectabamus, ex transverso fieret effecit.

 Nam

Nam promissa quidem illius occupationes ecclesiasticæ primùm, quibus distinebatur iugiter, mox verò mors inopina penitus intervertit: vestra verò, Iuvenes Nobilissimi, quam non vulgarem ad vos hinc redituram spondemus, utilitas effecit, ut quod vivente Crellio fieri nequibat, post illius obitum sub ipsius nomine librum hunc ederemus, quò non absolutus licet iste fœtus, parentis tamen sui, quem aliquatenus referat titulo censeretur. Vt enim illius modestiæ fuit premere, quæ non usquequaq; a se videbat exasciata: ita pietatis nostræ a blattis & tineis vindicare, suisq; incunabulis asserere, quæ sine ullo autoris, in quem post fata nil jam juris livor habere potest, intertrimento maximis juventutem publicè compendiis augere possunt. Quod ut tuendi nostri scribimus, qui contra mentem autoris eruditi seculi hujus soli non sumus exponere veriti ea, quæ perpetuis ille tenebris damnaverat; ita vitilitigatoribus illis oris obstruendi, quibus nihil rectum videri solet, quod non ab ipsis proficiscatur. Non Persiis videlicet aut Senecis, Ciceronibusvè, & Ambrosiis scripsit ista Crellius: sed hærenti in limine bonæ mentis juventæ, cui generosior sangvis ad regiam virtutis anhelat. Bonum factum igitur, si illi qui Persii, Senecæ, Cicerones, Ambrosiiq; videri volunt, & multùm tinniunt, ne extremis quidem

dem digitis attigerint ista, quæ nihil ad ipsos; ne ubi genuinum in his fregerint, laureolam in mustaceo quæsivisse dicantur. Nam veros illos Persios, Cicerones, Ambrosios, Senecas juvabit cum Agesilao repuerascentem, & cùm Catone Lælioque conchis ejusmodi lusitantem conspicere Crellium. Vos vero liberalia pectora, quibus virent genua, fervet sangvis, & generosior spiritus in suo veroq; vultu divam istam cognoscere avet, estis autem adhuc instar tabulæ, ut ait Philosoph⁹, rasæ, in quâ permultum interest quid primitus inscribatur, obviis ulnis & pectoribus hoc posthumum munus accipite ab eo, qui vestris semper incrementis favit, & vobis ad bonam frugem perducendis jugiter advigilavit. Iis autem, per quos ad manus vestras defertur, quiq; talem vobis ducem & Mystagogum ad honesti sacrarium offerunt, gratias agentes, ne instar hesperij draconis sine ullo emolumēto huic auro incubetis, elaborate. His chartis impallescite, has versate manu diurnâ, versate nocturnâ, sub hoc pollice vultum ducite. Digna est enim materia ingeniis, quæ sive corporis, sive animi dotium nomine cælo plurimum imputant, & spes suas ultra stolidæ plebeculæ vota mittunt: hîc invenire licet frugem illam Cleantheam: hinc petere

finem animo certum miserisq; viatica canis:

hinc

hinc deniq; discere,

Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus & unde,
Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Vtile nummus habet, patriæ carisq; propinquis
Quantum elargiri deceat, quem te Deus esse
Iussit, & humanâ quâ parte locatus es in re.

Hæc enim sunt summa ac præcipua Philosophiæ moralis capita: hæc illa Helice, & Cynosura, ad quam universus ad beatitudinis & tranquillæ mentis portum contendentibus cursus dirigendus est. Sed manum de tabula: ne artificiosæ orationis mangonio credulitati vestræ illudere velle, aut Hecates tuguriolo Priami vestibulum præstruere videar. Longè infra libelli meritum prædicationem subsidere meam experimento cognoscetis ipsi, nisi vobismet ipsis deesse & spei parentum, tutorum, & consangvineorum vestrorum decoquere malitis. Deus autem optimus Maximus, cui sunt omnia mortalium curæ, pectora vestra compleat ardore cognoscendæ veræ sapientiæ, & paterno favore suo ad Bonæ mentis Templum manu ducat, quo parentum votis & majorum decoribus succrescentes in viros olim Ecclesiæ, Patriæ, vestris, vobisq; utiles & accomodos adolescatis. Valete, Krzeloviæ 28. Augusti, Anno 1635.

ETHICES,

Seu

DOCTRINÆ DE MORIBVS

Prolegomena.

Quid est Ethica?

ETHica est disciplina Practica, rationem humanæ felicitatis consequendæ explicans.

Cur dicitur Ethica, sive moralis disciplina?

Quia mores hominum, hoc est, actiones virtutum & vitiorum explicat. Actiones quidem virtutum per se, vitiorum per accidens.

Quot sunt Ethicæ partes?

Quatuor: Duæ Primariæ: & totidem Secundariæ.

Quæ sunt Primariæ?

Prima est de ipsa Felicitate: altera de Virtute.

Quæ sunt Secundariæ?

Prior de Voluptate: Posterior de Amicitia.

PRIMA ETHICÆ PARS

De Felicitate seu Beatitudine humana.

Quid Felicitatis nomine intelligis?

VLtimum vitæ humanæ finem, seu summum ac perfectissimum hominis bonum.

Estné ultimus aliquis vitæ humanæ finis?

Est: quia si non esset, appetitio boni, quæ nobis est à natura insita, in infinitum tenderet, & nuspiam acquiesceret. Hoc verò absurdum est, quia nobis frustrà esset à natura data, siquidem finem suum assequi nunquam posset; at natura nihil frustra facit.

Quid est ergo Felicitas?

Felicitas est actio animi ratione præditi, secundùm virtutem perfectissimam, in vita perfecta.

Qualis est Felicitas?

Iucundissima: honore dignissima: αὐτάρκης, seu seipsâ contenta, ita ut in ea hominis desiderium acquiescat.

Quæ sunt ejus consequendæ media?

Primum ac præcipuum est virtus ipsa: tum reliqua bona virtuti subservientia, sive interna, hoc est, bona animi & corporis, sive externa

externa quæ fortunæ vulgo dicuntur, & sunt honores, amicitiæ, opes.

Quotuplex est humana Felicitas?

Duplex. *Theoretica* & *Practica*. Quarum illa mentis solius est, & in contemplatione seu exercitatione sapientiæ consistit: hæc appetitus est ratione conjuncti, atque in exercitatione virtutis moralis sita est.

Suntné eæ prorsus pares?

Non: Nam *Theoretica* potior est, & vitæ humanæ finis ultimus. *Practica* verò vitæ tantùm civilis, quæ nonnunquam *humana* peculiari ratione dicitur.

SECVNDA ETHICÆ PARS

De Virtute.

Quot modis Virtutis nomen accipitur?

TRibus potissimum. 1. Latissimè pro cujusvis rei affectione excellenti. Ea verò excellens est, quæ & subjectum suum & opus ejus perficit: qua ratione brutis quoque, aut inanimatis rebus virtutem tribuimus. 2. Strictè pro virtute humana studio acquisita. 3. Strictissimè pro virtute morum, quæ in actionibus honestis cernitur.

In qua significatione Virtutis nomen hîc accipitur?

In secunda: quia de ea agimus virtute, quæ felicitatis humanæ causa proxima est.

Quomodo definitur Virtus?

Virtus humana est habitus animi ratione præditi, eum perficiens & opus ejus bonum reddens.

Quotuplex est?

Duplex: Altera *intellectus*, altera *morum.*

Quæ hujus distinctionis est ratio?

Quia animus ratione præditus, qui subjectum virtutis est, duplex quodammodo est. Vel enim est per se ratione præditus, & est *intellectus*, sive *mens*. Vel per accidens, & est *appetitus*, quatenus à ratione, in eodem homine sibi conjuncta, regitur. Vtraque facultas habitibus quibusdam perficitur homini propriis, quos *virtutes* appellamus, quos inter se differre necesse est, quemadmodum & subjecta.

DE VIRTVTE MORALI.

Quid est Virtus Moralis?

Est habitus agendi cum consilio, consistens in medio quod ad nos, ratione recta definito.

Quid Vitium?

Habitus agendi cum consilio, consistens in extremo quod ad nos.

Quot

Quot sunt partes tractationis de Virtute Morali?

Duæ: *Generalis* & *Specialis*. Illa de virtute morali in universum agit: hæc de singulis ejus speciebus. Adjungetur velut appendicis loco tractatio de *Virtute Heroica & Imperfecta.*

Generalis tractatio in quot partes dividitur?

In quatuor. Nam primò agitur de causis efficientibus virtutis: deinde de Materia circa quam, seu objecto. Sequetur Forma, quæ cū in duobus consistat, Mediocritate & Consilio: tertio loco de mediocritate agemus: quarto de consilio & cum eo conjunctis: nam de fine, qui est Feliciras, jam egimus.

DE VIRTVTE MORALI in genere.

CAPVT I.

De Causis Efficientibus Virtutis.

Quot sunt causæ Efficientes Virtutis?

PRæter causas divinas, quas Theologus explicat, tria virtutem efficiunt; *Natura, Doctrina, & Exercitatio*: quæ causæ sunt omnium habituum; licet diversorum diversæ.

Quid Natura confert ad Virtutem?

Duo confert: Primò *Facultatem*, seu *aptitudinem* ad virtutem recipiendam. Deinde *inclinationem* & *impetum*, quæ facultatis illius naturalis quædam perfectio est.

Inclinatio illa quotuplex est?

Duplex: Vna *communis & vulgaris*, quæ in omnibus hominibus reperitur, & a ratione oritur, quæ honestatem, animi pulchritudinem, aliquo modo agnoscit & amat, corporis affectu licet reluctante: nam hujus inclinatio illi ferè contraria est. Altera est *peculiaris & perfectior*, quæ iis tantùm inest, qui singulari naturæ bonitate sunt præditi, & *generosa indoles* dicitur. Hæc ex temperamento corporis oritur.

Quid Doctrina confert?

Primò Præcepta, quæ monstrent, quid in quavis re sequendum sit, aut fugiendum, quæ hæc ipsa disciplina Ethica, quoad rerum varietas patitur, explicat. Deinde varia ad virtutem amplectendam incitamenta proponit.

Quid Exercitatio?

Hæc ipsum virtutis habitum nobis inserit. Omnis enim habitus usu paratur. Et in hac potissimum nobis elaborandum est.

Quæ sunt præcepta ei observanda, qui se ad virtutem exercet?

Ea sunt duplicia: Generalia, quæ hoc loco sunt tradenda; & specialia, quæ in singularum virtutum explicatione ponentur.

Quæ sunt præcepta generalia?

Præte-

Præter ea, quæ ex ipsa virtutis definitione patent, hæc potissimum tradi possunt præcepta.

I. Vt divinum auxilium assiduis precibus impetretur: quãquam hoc præceptum Theologicum est.

II. Vt virtutis tum pulchritudo, tum insignis fructus subinde consideretur, & animo penitus infigatur. Inter fructus autem virtutis eminet futuræ vitæ præmium, de quo Theologus: in hoc autem seculo rectæ conscientiæ gaudium. Contraria de vitiis ac sceleribus cogitentur.

III. Ne mediocria tantum aut faciliora facta in virtute tibi proponas sequenda; sed ad summum ejus fastigium semper aspires: quod ni feceris, vix in extrema ejus parte hærebis.

IV. Vt occasiones & irritamenta peccatorum, quoad licet, vitentur.

V. Vt animus tum, cum occasionem peccandi, quam prævidet, vitare non potest, adversus peccati vim & illecebras diligentissimè præmuniatur.

VI. Vt otium vitetur, & tum animus, tum corpus, inprimis verò animus honestis laboribus perpetuò exerceatur: inter animi verò labores eminet meditatio rerum divinarum, & liberalia studia.

VII. Vt ab eo vitio, quod à virtute longiùs recedit, quodq; voluptatem habet conjunctam majorem, aut ad quod naturâ sumus proniores, diligentiùs caveatur, & in contrarium quodammodo flectatur animus, ut luctante hinc natura, illinc studio in medio consistatur. Suspectum esse debet, quicquid appetitui vehementer placet.

VIII. Cum bonis versandum; abstinendum autem ab improborum consortio. Eligendi inprimis ii, qui ab iis vitiis, in quibus tu hæreas, vel ad quæ sis pronior, longè absint.

IX. Proponenda virorum virtute clarissimorum exempla, tum vetera, tum verò imprimis recentia, & ante oculos quotidie versantia. Cavendum autem diligenter, ne unà cum virtutibus vitia quoq; aliqua virorum bonorum imbibamus, aut facta aliqua vitiosa imitemur.

X. Cogitandum nos in oculis Dei semper versari, eum omnibus nostris dictis ac factis interesse, & mediis intervenire cogitationibus. Quin etiam eligendus vir gravis, & reverendus, quem nobis perpetuò testem assistere cogitemus, & in cujus conspectu peccare horreamus.

XI. Admonitio[illegible] & objurgationes amicorum au[illegible] vis æquo

animo

animo ſunt non admittendæ tantùm, verùm etiam precibus efflagitandæ: quin & inimicorum reprehenſionibus admoniti tantò diligentiùs à delictis cavere debemus. Adulatoribus non præbendæ aures, ſed ab iis, tanquam peſte, cavendum.

XII. Etiam illa, quæ levia videntur, cavenda ſunt, & ne licita quidem omnia, ſi vitiis aliquando videantur favere, facienda. Nam qui licita facit omnia, mox etiam ea faciet, quæ non licent.

XIII. Frequens & accuratum inſtituendum eſt factorum noſtrorum examen, in quo accuſatoris partes libenter ſuſcipiamus, defenſoris autem raro: quod etiam tum faciendum eſt, cum abſque peculiari inquiſitione delicta noſtra animadvertimus. ea enim nunquam ſunt extenuanda, aut elevanda, nec facilè deponenda eorum memoria, & animi, quem facti pœniteat, dolor. Quod ſi tamen quippiam rectè à nobis factum occurrerit, gratiis Deo actis gaudere & ad alia ſimilia facienda nos exſtimulare debemus.

XIV. Eodem pertinet, ut de nobis quàm modeſtiſſimè ſentiamus, nec tàm quo progreſſi ſimus, quàm quousq; nobis adhuc ſit progrediendum, cogitemus. Laudati ob virtutem ne ſuperbiamus, nec aliis hâc in parte de nobis plus, quam nobis ipſis, credamus.

XV. Famæ tamen honestæ est cura habenda, quâ neglectâ negligi solent virtutes. Tanta autem in eâ re diligentia est adhibenda, ut non tantum peccata ipsa; sed & speciem peccatorum, quæ flagitii alicujus suspicionem in aliorum animis de nobis excitare possent, vitemus. Interea tamen cavendus est diligenter vitiosus pudor, & nimius offensionis alienæ metus aut fuga, quæ interdum non minus virtuti nocet, quam impudentia & honestæ famæ neglectus. Sæpe enim aliorum vel voluntas, vel sententia virtuti adversatur, ita ut ei gratificari, suaq; facta accommodare, non possit non esse vitiosum.

XVI. Deniq; cavendum, ne vel malorum fortuna & prosperi consiliorum eventus, vel bonorum calamitates, & consiliorum infelicitas à virtutis amore te ad vitia abripiant.

Quo tempore est inchoanda doctrina & exercitatio ad virtutem?

A teneris. Nam non tantum multum est, ut ait Poëta, à teneris assuescere; sed propè totum in eo situm est.

Quænam verò est rectæ institutionis ratio ad virtutem?

Primò, ut ea pro ætatis ratione præscribantur pueris & adolescentibus, quæ illis ipsis, qui

qui se ad virtutem exercent, observanda esse diximus. Deinde ut ii, tum verbis, tum factis ad ea exequenda adducantur. Verbis quidem, si crebro admoneas ante factum: post factum vel laudes, vel reprehendas pro merito. Factis itidem dupliciter: primò exemplis, tùm præmiis aut pœnis.

Quibusnam verò rectæ institutionis cura incumbit?

Duplicis sunt generis ii, qui eam curare debent: vel enim potestatem habent in eos, qui sunt educandi; vel non habent. Qui habent vel *Magistratus* sunt; vel *Privati*. Magistratus leges de rectâ pueritiæ & adolescentiæ institutione ferre, & ut eæ serventur curare debent. Privatæ personæ duplices sunt: vel enim *naturali* quodam *jure*; vel *aliena concessione* potestatem illam habent. Istæ sunt in primis *Parentes*, quos sequuntur alii consangvinei seniores, ut *Patrui*, *Fratres natu majores*, & alii. Qui aliena concesssione habent, sunt *Tutores* ac *Præceptores*. Qui nullam habent potestatem, sunt *cæteri amici*.

Quodnam verò signum est habitus virtutis jam comparati?

Si quis multis illecebris ad peccandum incitatus nihilominus honestum frequenter sequatur, & exinde gaudium capiat.

CAPUT

CAPUT II.

De Materia seu Objecto virtutis.

Quodnam virtutis Objectum est?

VIrtutis objectum non unum est; sed duplex: *Primarium & Secundarium.*

Primarium quotuplex est?

Iterum duplex: *Internum* quod est omnium præcipuum; & *externum.*

Quid est Internum?

Affectus.

Quid est affectus?

Est commotio appetitus, orta ex voluptate aut dolore, ad rem vel persequendam, vel fugiendam: *ut amor, odium, spes, metus, lætitia, tristitia, gratitudo, ira,* & quæ his subjiciuntur species aut gradus.

Omnesné affectus sunt verum virtutis Objectum?

Non: nam alii sunt naturâ suâ mali; ut *invidia,* quæ est tristitia ex alieno bono, quod tibi nihil noceat: ἐπιχαιρεκακία, seu *malevolentia,* quæ est lætitia ex alienis malis nullo tuo commodo: *audacia* seu *confidentia* propriè sumta, & alii similes. Alii non sunt mali; sed natura sua indifferentes, qui pro ratione circumstantiarum nunc boni, nunc mali fiunt: quales sunt affectuum genera paulo ante enumerata & multæ horum species.

Quodnam

Quodnam ergo affectuum genus materia est virtutis?

Eorum affectuum, qui natura sua sunt indifferentes & honestatis capaces. Cæteri virtuti non subjiciuntur; sed opponuntur, tanquam actiones internæ vitiosæ.

An non est discrimen aliquod inter affectus, qui naturâ suâ non sunt omnino mali, quod ad honestatem ac turpitudinem attinet?

Est: Nam alii virtuti magis favent, alii vitio: vnde illi plerunq; in laude ponuntur, hi in vitio. Istius generis sunt affectus benefici, *charitas, gratitudo*, & his similes: hujus generis sunt affectus malefici, *ira, odium*, & his cognati alii.

Quodnam est externum virtutis objectum primarium?

Actiones à corporis ministerio profectæ.

Suntné omnes actiones externæ virtutis objectum?

Non: aliæ enim sunt natura sua malæ, ut *homicidium, adulterium, furtum, calumnia:* aliæ bonæ, ut εὐπραξία in genere; in specie *beneficium*, δικαιοπράγημα, hoc est, *justè factum*, quæ ipso nomine bonitatem indicant: aliæ deniq; mediæ & indifferentes, quæ per se nec bonæ sunt, nec malæ, ut *edere, bibere, loqui, pecuniam dare* aut *accipere*, & aliæ infinitæ. In his postremis virtus tanquam in objecto

versatur

versatur: cæteræ sunt partim vitiorum, partim virtutũ aut causæ efficientes, aut effecta.

Quodnam est virtutis secundarium objectum externum?

Res omnes, circa quas affectus & actiones externæ occupantur, & quibus excitantur.

Quænam inter res istas sunt potissimæ?

Bona præter honestum omnia; sed inprimis jucunda.

CAPVT III.

De Mediocritate.

Quid vocas Mediocritatem sive medium?

Id, quod inter plus & minus, seu nimium & parum interjectum est.

Quotuplex est illud medium?

Duplex: Alterum rei ipsius absolutè sumtæ, alterum rei ad alia relatæ.

Quodnam est medium rei ipsius absolutè sumtæ?

Quod ab utroq; extremo æqualiter abest: itaq; ubiq; & omnibus semper est idem; *qua ratione senarius numerus medius est inter binarium & denarium; ab utroq; enim abest quaternario.*

Quodnam est medium rei ad alia relatæ?

Quod ita inter extrema interjectum est, ut iis, ad quæ refertur, conveniat & aptum sit: & hoc non ubiq;, aut omnibus, aut semper est idem; sed pro rerum diversitate varium. Hoc medium sectantur artes, *ut sutor in confici-*

in conficiendo calceo, qui nec arctior, nec laxior sit pede: sartor in vestitu: pictor in exprimendâ corporis formâ.

Utra autem mediocritas ad virtutis formam pertinet?

Posterior, quæ est rei ad alia, nempe ad nos, & ea, quæ vel in nobis, vel circa nos existunt, relatæ, unde id medium *quod ad nos* dicitur. *Sic medium, in quo temperantia consistit, varium est pro varietate personarum: neq; enim,* verbi gratiâ, *tantum debet cibi aut potus sumere vir doctus, & tenui corpore præditus, aut ægrotus, si temperantiam servare velit, quantum fossor aut arator benè valens. Sic in liberalitate fit: nam plus dives largiri debet, quam qui est in re tenui; & egentiori, meliori, conjunctiori, plus dandum, quam ei, qui minus eget, minus bonus, aut conjunctus est.*

Quibus ergò in rebus cernitur istud medium, in quo consistit virtus?

In observatione circumstantiarum actionis uniuscujusq;, seu decoro.

Quid circumstantiarum nomine intelligis?

Omnia ista, quæ ad actionem concurrunt, & ex quibus ejus meritum æstimatur.

Quænam eæ sunt?

Vulgò septem numerantur & hoc versiculo exprimuntur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quid singulæ voces denotant?

Quis

Quis denotat causam efficientem principalem, cujus natura & status variaq; adjuncta consideranda sunt. *Quid* tum genus actionis, tum objectum sive materiam circa quã ex qua genus actionis propius denominatur. *Vbi* locum. *Quibus auxiliis* causas medias seu instrumentales. *Cur* causas impulsivas & finales. *Quomodo* formam seu modum actionis. *Quando* tempus. Tertia & ultima ad adjuncta pertinent actionis: cæteræ ad causas.

An is virtutis laude protinus privandus est, qui non omnes circumstantias accuratissimè observaverit?

Non: sed tum demum, si neglectus circumstantiarum & recessus à medio sit major & notabilior. Quod enim parum distat, præsertim in actionibus humanis, quarum infinita est varietas, propè nihil distare videtur.

Quænam mediocritati huic opponuntur?

Duo extrema, seu *nimium* & *parum*, vel ut vulgò loquuntur, *excessus* & *defectus*, quæ sunt vitiosa: Vnde duo eidem virtuti solent opponi vitia. Quanquam justitiæ extrema non duo distincta constituunt vitia; sed unius injustitiæ nomine comprehenduntur.

An utrumq; extremorum seu vitiorum æquè solet cum medio seu virtute pugnare?

Non

Non; ſed alterum magis, alterum minus: part gen.
& quidem nunc exceſſus, nunc defectus.

Quænam verò ſunt illa vitia, quæ magis aut minùs virtuti repugnant?

Id cognoſces, ſi cauſas, cur id fiat, audieris.

Quænam hujus rei eſt cauſa?

Ea duplex eſt: prima, quod affectus, in quo regendo cernitur virtus, vel naturâ ſuâ vehemens eſt, ut *libido* & *ira*, vel remiſſior, ut *fiducia in periculis*: ſi vehemens, virtuti magis repugnat exceſſus, quam defectus: ſi remiſſus, contrà. Nam cùm vehemens eſt affectus, virtutis opera potiſſimùm in frænando affectu cernitur, & ad id, quod parum eſt, quodammodo contendit: cùm remiſſus, in eo excitando laborat, & ad id, quod nimium eſt, aliquâ ratione accedit, itaq; ibi exceſſus virtuti eſt amicior, hîc defectus. *Sic fortitudini ſimilior eſt audacia, quam timiditas, quia fiduciam in periculis inprimis regit. Manſuetudo propior eſt* τῇ ἀοργησίᾳ *ſeu lentitudini, quia iram, vehementem affectum, regit.*

Quænam altera eſt hujus rei cauſa?

Quod ad alia atq; alia vitia procliviores eſſe ſoleamus, quod fit, vel quia vitium voluptatem majorem habet conjunctam, voluptatem autem naturâ amamus; vel quia ob temperamentum peculiare ad id ſumus pro-

niores. Id verò, ad quod naturâ ſumus proniores, longiùs à virtute ſolet recedere, quia naturæ impetus longiùs nos provehere conſuevit, eiq; repugnare admodũ eſt difficile.

CAPVT IV.

De Sponte & invitè facto, Voluntario, Deliberatione, Conſilio.

Sectio Prima.

Cur de ſponte & invitè facto, de voluntario & involuntario hîc agitur?

PRimò, quia inde factorum ſive honeſtorum, ſive turpium merita inprimis æſtimantur, laus & reprehenſio, præmium & pœna conſtituitur. Deinde, quia conſilii ſeu proæreſeos natura ſine his plenè cognoſci non poteſt: quod etiam de deliberatione dictum volumus.

Quotuplicia ſunt facta hominum, quæ ipſius naturæ vi non perficiuntur?

Triplicia: quædam *ſponte* fiunt, quædam *invitè*, quædam *veluti mixta* ſunt, & partim *ſpontè*, partim *invitè* fiunt.

Quodnam eſt ſpontè factum?

Cujus principium in agente eſt, ſciente rerum circumſtantias; ſeu quod quis libenter facit.

Quando

Quando autem principium facti censetur esse in agente?

Cùm agens ipse suopte motu ac impetu ad actionem accedit, aut ad eam aliquid confert, non ab aliis sive rebus, sive personis prorsus coactus; quod etiam tùm fit, cùm quis boni spe impulsus, aut ab altero admonitus quippiam facit, cùm possit etiam non facere.

Quid invitè factum?

Quod quis prorsus illibenter, seu contra animi sententiam facit.

Invitè factum quotuplex est?

Duplex: vel enim vi fit, & dicitur *Violentum*: vel ignorantiâ, seu per ignorantiam.

Quodnam est violentum?

Cujus principium est extra, suopte motu ad actionem nil conferente eo, qui patitur aut agit. ut, *cùm quis vento abripitur in eas partes, in quas minimè voluit, quanta potuit vi renitens: aut, cùm quis ab hominibus robustis, quibus resistere non potest, constrictus, vel ad hostem, vel in carcerem defertur.*

Quodnam est invitè factum, quod fit per ignorantiam?

Quod proficiscitur ex ignorantia non affectata circumstantiæ alicujus, quam si novissemus, actionem haudquaquam suscepissemus, & quâ cognitâ factum dolemus. ut, *si*

part. gen. *quis patrem, aut fratrem hostilibus armis indutum, & sibi in acie occurrentem interficiat, hostem esse arbitratus, quâ re cognitâ tristetur.*

An non omnis ignorantia factum invitum & excusabile reddit?

Non: sed ea demum, quæ in definitione hâc à nobis est expressa.

Quotuplex ergò est ignorantia, quæ ad facta pertinet?

Duplex: alia *culpâ nostrâ contracta* seu *affectata*, alia *à culpa nostra sejuncta.*

Quænam est culpâ nostrâ contracta seu affectata?

Est ignoratio ejus, quod quis nosse poterat & debebat, ita ut ejus negligentiâ & improbitate factum fuerit, ut nesciret. Et hæc *lata culpa* dicitur à Iureconsultis.

Quotuplex est?

Vel alicujus universalis, ut legis, cujus addiscendæ occasionem quispiam & causam habuit, & dicitur *ignorantia Iuris:* Vel ignoratio circumstantiæ alicujus singularis, quã quis nosse debebat. ut, *si quis in foro, aut platea, explodens sclopetum, hominem trajiciat, & dicat se ignorasse quempiam præteriturum: id enim scire debebat, cùm verisimile sit in istiusmodi locis homines versari. His duobus modis ebrii sæpe peccant, & ii, qui suâ malitiâ sunt excæcati, ut rectum non videant.*

Quæ

Quæ ignorantia non est culpâ nostrâ contracta?

Cùm quis circumstantiam facti nescit, licèt eam diligentiam adhibuerit, quam viri boni & cordati ab ejus ætatis ac conditionis hominibus exigere solent.

Quarum verò circumstantiarum ignoratio potissimùm spectatur?

Materiæ & Finis. Ex his enim factorum meritum potissimùm æstimatur.

An omnis hujusmodi ignorantia factum invitum & excusabile reddit?

Non prorsus: sed tum demùm, si re cognitâ dolor consequatur. Nam quod quis facit invitus, illibenter & contra animi sententiam facit. *Qvare non prorsus invitus novercam lapide feriit, qui canem petiturus, cùm novercam læsisset, dixit: Euge ne sic quidem malè.*

An verò sponte facta censentur, si dolor non consequatur?

Non: Sed sunt veluti media: ratione tamen originis ad invitè facta propiùs accedunt; & discriminis causâ dici possunt *non sponte facta, cætera invitè facta.*

Quænam facta censentur mixta, hoc est, quæ partim spontè, partim invitè fiunt.

Quæ per se ipsa spectata mala censentur, ita ut ea libenter haud esses facturus, facis tamen vel majoris mali effugiendi, vel ma-

gni alicujus boni consequendi causâ. *Talis est jactura mercium in tempestate: Sectio & ustio membri, vitæ tuendæ causâ: Perpessio tormentorum, & mortis, ob æternæ salutis præmium:* aut contrà, *abnegatio religionis, cruciatuum effugiendorum gratiâ.*

An ea sponte factis potiùs debent accenseri, an verò invitè factis?

Sponte factis potiùs: quia etsi simpliciter videtur invitè facta; tamen tùm, cùm geruntur, ob circumstantiarum rationem sponte fiunt, & sunt expetenda, principiumq; eorum est in agente, sciente rerum circumstantias: nam ipse membra ad agendum movet, cùm posset non movere; aut non movet, cùm posset movere. Factum autem quodvis ex eo tempore, quo fit, & circumstantiarum ratione potissimùm censeri debet.

Quotuplicia sunt?

Quadruplicia: Quædam enim laudem merentur: quædam veniam aut commiserationem: quædam vituperationem tantùm: quædam denique pœnam.

Quænam merentur laudem?

Cùm quis honesti causâ gravia subit mala. *Huc referuntur Martyria: huc M. Reguli factum, & Anaxarchi, qui, ne secreta proderet, & in periculum vitæ amicos adduceret, a Tyranno flagellari sustinuit.*

sustinuit. Nonnunquam & ii laudantur, qui maximi emolumenti causâ malum, cum commodo tamen eo non comparandum, subeunt.

Quænam veniam aut commiserationem?

Veniam merentur, cùm quis, ut commodum non leve consequatur, aut malum grave effugiat, quidpiam facit etiam non satis decorum. *Quò pertinet Davidis factum, qui ut periculum effugeret, furere se simulavit.* Sed commiserationem etiam meretur, cùm quis eo adigitur, & ob majora mala, quæ immerenti impendebant, evitanda, cogatur alia non levia subire.

Quænam vituperationem tantùm?

Cùm quis aut emolumenti causâ, aut levioris alicujus mali evitandi gratiâ, vel commoda majora relinquit, vel id facit, quod eum haudquaquam deceat; flagitiosum tamen non sit. Vt *si quis lucri causâ in foro saltet, aut, ne aliquot florenorum jacturam facere cogatur, verberari se sustineat, aut hominem superbum humiliter deprecari malit.*

Quænam verò pœnam?

Cùm quis, cujuscunque tandem boni aut mali causâ, aliquid committit, quod naturâ suâ sit turpe aut flagitiosum, aut cum præceptis divinis pugnet. ut, *si quis spe lucri aut honoris, aut metu mortis, religionem, aut patriã prodat,*

aliquem calumnietur veneno tollat. Exrrema enim omnia potiùs ſunt ferenda, quàm tale quid admittendum.

Sectio II.
De Voluntario.

An Voluntarium non idem eſt cum Spontaneo?

DVplici modo Voluntarium vulgo ſumitur: nunc latè & impropriè, nunc ſtrictè ac propriè. Latè uſurpatur pro Spontaneo in univerſum. Strictè pro Spontaneo, quod fit ab homine ratione jam utente, de quo nobis nunc agendum eſt.

Quomodo ergo differt voluntarium ſtrictè ſumtum à ſpontaneo?

Vt ſpecies à ſuo genere: Spontaneum in bruta etiam & infantes cadit, cùm cognitio ſenſus & inclinatio appetitus ad id ſufficiat: ad Voluntarium uſus etiam rationis requiritur.

Quot modis ſumitur Voluntas, unde Voluntarium dicitur?

Duobus: nunc pro facultate, nunc pro actu.

Quid eſt Voluntas priori modo ſumta?

Appetitus rationis. Vnde conſequitur, voluntatem, quæ actu eſt, nihil eſſe aliud, quàm hujus appetitus operationem, quæ duplex eſt: vel *inclinatio ad objectum*, vel *fuga.*

Quomodo appetitus vocem hîc accipis?

Laxè

Laxè, pro quavis facultate, quæ bonum cognitum amplecti, malum verò aversari potest. Nam aliàs strictè sumitur pro appetitu sensitivo tantùm, qui etiam brutis inest. part. gen.

An non paulo pleniùs Voluntatis naturam explicare potes?

Voluntas est facultas, quæ id, quod ratio tanquam bonum apprehendit, persequitur, quod tanquam malum, aversatur; &, si bono adjunctum sit quippiam mali, id liberè vel amplectitur, vel respuit, inter duo etiam vel bona, vel mala delectum liberè instituit.

Quomodo libertas illa voluntatis appellatur?

Arbitrium.

Estne ejus in moribus vis aliqua?

Maxima. Ex eo enim, quod vel honestum aliis bonis cum turpitudine conjunctis liberè præferimus; vel contrà, illa honesto anteponimus, virtus aut vitium, laus aut vituperatio, præmium aut pœna verè consequitur, seu meritum factorum nostrorum potissimùm æstimatur.

An tamen est quippiam aliud, unde honestas & turpitudo æstimatur?

Est: ipsorum etiam factorum per se consideratorum natura. Sed si voluntas nostra nullomodo consentiat, ea nos verè non polluunt, aut improbos efficiunt, nec pœnæ prorsus obstringunt, etiamsi per se sint tur-

pia: & contrà, honesta facta nos viros bo nos non efficiunt, nec laudem ullam au præmium merentur, nisi voluntas con currat.

Sectio III.
De Consultatione.

Quid est Consultatio?

Est inquisitio mediorum ad finem quem piam consequendum utilium.

Quis est Consultationis modus & ordo?

Primùm omnium, finis certus proponen dus est. Deinde de mediis agendum, ad fi nem propositum utilibus.

Quot sunt in mediis spectanda?

Tria: *Primò*, quænam ea sint: *Secundò*, an sint in nostra potestate: *Tertiò*, qua ratione iis sit utendum.

Quænam in primo iterum sunt consideranda?

Itidem tria: *Primùm*, quænam sint media cum fine proposito proximè cohærentia, an unum, an plura: *Deinde*, si plura sint, quod nam commodius: *Tertiò*, uno constituto vi dendum, an id aliis iterum mediis sit paran dum, & quibus; donec ad id veniatur, quod in promptu est ac nobis proximum, adeoq; in deliberatione ultimum, in actione pri mum.

Quænam verò media dicis esse in nostra potestate?

Qua

Quæ vel jam nobis adsunt, vel saltem parari à nobis quacunque tandem ratione possunt. Quodsi in potestate nostra neutro modo sint, consultatio omittitur, & ad actionem non fit progressus. part. gen.

An verò ista omnia semper sunt in deliberatione excutienda?

Non semper; sed tùm demum, cùm aliqua potest esse dubitatio, vel difficultas. De rebus enim manifestis nemo consultat, nisi fortè insaniat. Quodsi de rebus manifestis etiam deliberare velis, consultatio in infinitum protrahetur, nec uspiam consistet, & prorsus erit irrita.

Potesne Consultationis modum exemplo illustrare?

Possum. *Tranquillitas,* verbi gratiâ, *Reipublicæ sit finis; ad hanc obtinendam necessarium est, ut hostes, qui Reipublicæ imminent, ab ea avertantur: hoc medium est fini proximum; sed nondum est ad manum. Duobus igitur modis hoc iterum parari potest; vel hostes vincendo, vel pacem cum illis componendo. Si commodius esse videatur pacem componere, legati, qui de pace agant, mittuntur, & modus, quo id perfici debeat, inquiritur. Atque hoc jam sit medium in inquisitione ultimum, in actione primum. Si verò bellum gerere placeat, quia id sine ducibus, militibus, apparatu bellico, commeatu geri non potest, ideo hæc paranda decernuntur. Ad hæc rursus*

part. gen. *pecuniâ est opus, ea vel ex vectigalibus, vel tributi indicto colligitur, vel mutuò sumitur, aut ab amicis dono accipitur, vel pluribus simul modis, aut omnibus istis paratur. Quodsi unus modus sit commodissimus, is eligitur: si plures, aut omnes, ii simul decernuntur. Quodsi medium occurrat, quod sit impossibile,* verbi gratiâ, *vel pecunia, vel miles nullo modo parari possit, cessat deliberatio & ad actionem non fit progressus. Si verò omnia suppetant, tum inquiritur, quomodo istis mediis quàm rectissimè uti, & victoriam, adeoq; tranquillitatem Reipub. possit consequi, & ab iis, quæ in deliberatione fuerunt postrema, actionis fit initium, quæ in deliberatione prima, in iis actio ultimò acquiescit.*

Sectio IV.

De Proæresi seu Consilio.

Quid est Proæresis?

Est appetitio ejus, quod antegressa deliberatione conclusum est.

Quodnam est ejus objectum?

Idem quod deliberationis, ratione tantum distinctum. nam primò versatur circa media, secundariò seu consequenter circa finem, quemadmodum & deliberatio. Differentia in eo est, quod media, cùm nondum sint certò constituta, deliberationis proprium sunt objectum; cùm jam constituta, proæreseos materia fiunt.

Quæ

Quæ ſunt ipſius principia?

Principia Proæreſeos, quæ quidem in ipſo ſunt homine, duo conſtituit Ariſtoteles: *Rationem* & *Appetitum*, quæ inter ſe conſpirare debent, ita ut, quod ratio affirmat, appetitus cupiat: quòd illa negat, hîc fugiat. Addi tamen his duobus poteſt tertium principium, nempe *Voluntas libera*, quæ, ratione aliquo modo præeunte, in hanc aut illam partem ſe inclinat, & appetitum ſecum trahit.

Quotuplex eſt Proæreſis?

Duplex. Bona & mala. Bona quidem cum ratio id, quod rectum eſt, monſtrat, & appetitus ſequitur: mala ſi contra fiat. Illa virtutis; hæc vitiorum eſt.

Quo ſenſu ſupra dictum eſt virtutem eſſe habitum cum Proæreſi ſeu conſilio?

Non quod virtus ſemper deliberatione utatur, & ſic demum aliquid faciendum decernat: (interdum enim res adeo eſt manifeſta, viro præſertim prudenti, ut deliberatione non egeat: interdum temporis anguſtia deliberationem excludit, cùm ſubitò aliquid eſt faciendum:) Sed quod is, qui virtute præditus eſt, cùm res poſtulat, & tempus permittit, non niſi cum conſilio & deliberatione ad agendum accedat.

An laude aut vituperatione carent actiones, cùm Proæreſis non accedit?

Non:

Non. Satis est enim ad laudem, ut sponte facias id, quod rectum est; ad vituperationem, si sponte malum committas: Præclarior tamen solet fieri actio bona, mala verò deterior, cùm Proæresis accedit, & vel virtutis habitum, vel vitii arguere, si sit perfecta & constans.

Hactenus de Virrute Morali in genere.

DE SPECIEBUS VIRTUTIS MORALIS.

Virtutis moralis Divisio.

Quotuplices sunt virtutes morales, & ad civilem vitam pertinentes?

TRiplices: aliæ ad nos ipsos potissimùm respiciunt: aliæ ad alios: aliæ partim ad nos, partim ad alios, quas veluti medias medio etiam loco persequemur.

Quænam sunt illæ virtutes, quæ ad nos potissimùm respiciunt?

Quæ cupiditates eorum bonorum, quæ ad nos referuntur, & ab aliis *bona per accidens* dicuntur, regunt ac moderantur.

Quænam sunt illa bona?

Voluptates corporis, honores, & divitiæ.

Quæ virtus versatur circa voluptates corporis?

Temperantia.

Quæ circa honores?

Magnanimitas & *Modestia*. Illa circa honores magnos

magnos ac minimè vulgares: hæc circa vulgares & usitatos.

Quæ circa divitias?

Divitiæ duplici modo considerantur: vel quatenus ad nos referuntur, & nobis oblatæ vel accipi, vel repudiari possunt: vel quatenus à nobis in aliorum usus cõverti queunt. Priori modo consideratæ *Magnanimitatis* sunt objectum secundarium. Posteriori modo spectatæ, quarum virtutum sint materia, postea dicetur.

Quotuplices sunt virtutes eæ, quæ partim ad nos, partim ad alios spectant?

Duplices: vel enim versantur in malis, quæ nobis ab aliis vel inferuntur, vel imminent: vel in eo affectu coërcendo, qui aliis mala inferre jubet, hoc est, in *Ira*.

Quænam virtus versatur in malis, quæ nobis ab aliis vel inferuntur, vel imminent?

Fortitudo & *Patientia*. Illa propriè in futuris: hæc in præsentibus malis cernitur.

Quænam versatur in Ira?

Mansuetudo.

Quænam sunt virtutes, quæ ad alios potissimùm respiciunt?

Quæ non tam affectus, quam actiones adversus alios regunt ac moderantur.

Quotuplices sunt?

Duplices: vel enim in tribuendo & alienis

bonis procurandis conſiſtunt, & extra familiarem convictum poſſunt exerceri: vel in communicatione ſermonum & in familiari convictu regendo cernuntur.

Quotuplices ſunt illæ, quæ in alienis bonis curandis cernuntur?

Duplices: vel enim aliis tribuimus, quæ ipſorum ſunt: vel de noſtro illis largimur, operamve noſtram præſtamus.

Quænam virtus verſatur in tribuendis alienis?

Iuſtitia.

Quæ virtutes verſantur in tribuendo noſtro, operave' aliis præſtanda?

Beneficentia, quæ *Liberalitatem* in ſe complectitur & *Magnificentiam*. Illa in uſitatis ac vulgaribus ſumtibus, aut opera præſtanda verſatur; hæc in magnis & inuſitatis impenſis faciendis.

Quotuplices ſunt virtutes, quæ in convictu familiari verſantur?

Duplices ſtatuuntur ab Ariſtotele: Vel enim in ſermonibus ſeriis cernuntur: vel in jocoſis. quod poſterius nos cum grano, ut ajunt, ſalis admittimus.

Quotuplices ſunt iterum virtutes, quæ in ſermonibus ſeriis verſantur?

Iterum duplices. nam vel veritatem dictorum ſpectant: & hæc eſt *Veritas*: vel jucunditatem

tatem ac commodum, quod ad alios ex iis redundet, & dicitur *Amicitia*, vel *Humanitas*.

Quænam virtus versatur circa sermones jocosos?

Vrbanitas, quam nos, quatenus ab *Humanitate* sejungitur, pro virtute non habemus.

Annon sunt adhuc aliqui habitus laudabiles, qui virtutes appellari possunt?

Sunt aliqui; sed ii vel sub his continentur, tanquam species quædam sub suis generibus; vel ad eos propter affinitatem reduci possunt, ut *Gratitudo*, cum pro habitu quodam sumitur, partim ad *Iustitiam*, partim ad *Beneficentiam* revocatur.

An omnes virtutes enumeratæ sunt prorsus pares?

Non: quædam enim sine flagitio omitti non possunt, ut *Iustitia*, *Mansuetudo*, quæ crudelitati opponitur, *Castitas*, quæ *Temperantiæ* pars est. Aliæ non quidem sine turpitudine, sine scelere tamen ac flagitio, quod civiliter ita dicatur, ferè negliguntur. Dico *ferè*: quia nonnunquam fit, ut quædam earum officia negligere flagitiosum judicetur. Huc refertur *Liberalitas*, *Magnificentia*, *Magnanimitas*, *Humanitas*, & *aliæ*.

CAPVT I.

De Temperantia.

Quid est Temperantia?

TEmperantia est Virtus circa voluptates belluinas gustus & tactus, hoc est, circa voluptates cibi ac potus & venereas.

Quotuplex est?

Duplex. *Sobrietas* & *Castitas.*

Quid est Sobrietas?

Est temperantia in voluptatibus cibi ac potus.

Quotuplicia sunt officia Sobrietatis?

Triplicia: quædam ad perfruitionem voluptatum istarum pertinent: quædam ad earum desiderium: quædam deniq; ad dolorem ex earum absentia ortum, quæ distributio etiam in officiis castitatis per se locum habet.

Quotuplicia sunt ea, quæ ad perfruitionem voluptatum ex cibo & potu manantium pertinent?

Duplicia: quædam sunt potissimùm spectanda: quædam secundariò.

Quæ sunt potissimùm spectanda?

Quantitas & qualitas cibi ac potus.

Quid quantitatem vocas?

Copiam ac paucitatem.

Quid qualitatem?

Suavitatem, ejusq; contrarium: quò etiam precium revocamus.

Quodnam

Quodnam est præceptum primum in quantitate ac qualitate cibi ac potus observandum?

Vt tantum sumas cibi ac potus, non amplius, taliq; utaris victu, qualem vitæ ac valetudinis tuæ ratio requirit, & vitæ genus laboresq; tui postulant. Cibus enim vitæ ac valetudini, hæc laboribus honestis servire debet. *Itaq, alio victu pro constitutione corporis, pro ratione laborum uteris: alio cum æger es, alio cum sanus: alio is, qui literas tractat, alio fossor aut arator.*

Quod est secundum?

Vt caveas, ne cor (ut Servator noster loquitur) cibo ac potu gravetur, hoc est, ne animus ad divinarum rerum meditationem, ad devotionem precũ planè ineptus reddatur.

Quod tertium?

Ne eo utaris victu, qui cupiditates voluptatum turpium facilè excitet, & ut Paulus loquitur, ne carnis curam geras ad concupiscentias: quod præceptum juvenibus inprimis est observandum.

Annon jejunium huc etiam pertinet?

Pertinet. Nam si metuas, ne corpus luxuriet, aut ejus stimulos jam sentias, satius est ei victum ad tempus subducere, ut rationi facilius pareat.

Quid in qualitate cibi ac potus potissimùm est observandum?

Ne rem familiarem, lautiori ac pretioſior cibo utens, quam neceſſitas poſtulat, exhaurias, aut id, quod in pauperes conferre debebas, gulæ impendas, aut deſiderium voluptatum corporis delitiarum uſu irrites. Itaq; cibi ac potus condimenta potiſſima ſint fames ac ſitis: ea quæ ſine fame cupiditatem edendi, ſine ſiti cupiditatem bibendi excitant, ægris permiſſa ſunt.

Quænam ſunt ſecundario in perfruitione iſtarum voluptatum ſpectanda?

Primò, ne multum temporis in cibo ac potu capiendo, utut alias videaris moderatè id facere, conteras. *Secundò*, ne tum, cum res magis neceſſariæ ſunt tractandæ, veluti cum ſacris operandum, ventrem cures. Sunt quidem & alia, ſed quia in illis rariùs peccatur, aut minus graviter, ea brevitatis cauſâ omittimus.

Quid in deſiderio iſtarum voluptatum, & dolore ex earum abſentia orto eſt obſervandum?

Id audies tum, cum Caſtitatis præcepta, quæ altera eſt Temperantiæ ſpecies, exponemus.

Quid eſt Caſtitas?

Eſt temperantia in voluptatibus venereis.

Quotuplicia ſunt hujus virtutis præcepta?

Duplicia, quædam per ſe ad eam pertinent, quæ-

quædam quodammodo per accidens. Et illa quidem, quæ per se huc pertinent, triplicia esse jam monuimus: nam vel ad perfruitionem voluptatum, vel ad desiderium, vel ad tædium ex earum absentia ortum spectant.

Quid in perfruitione spectandum?

Vt ea legitimi matrimonii cancellis circumscribatur, parcissima sit, ac verecundissima.

Quid in desiderio?

Ne inhonestas voluptates unquam desideres: honestas moderatè, suoq; tempore & ætate.

Quot modis in inhonestarum voluptatum desiderio peccari solet?

Duobus: Vel dum decernit quispiam, se iis potiturum, & occasionem tantum expectat: vel non decernit quidem; animum tamen earum cogitatione titillat, quæ duo in omnium rerum inhonestarum cupiditatibus vitanda sunt.

Quid ergo faciendum est, si rei turpis cogitatio obrepat?

Ea statim excutienda est animo, & cogitatio aliò convertenda: quod si constanter velis, precibus ac meditationi rerum divinarum vaces, moderatione victus corpus coërceas, somnum atq; otium vites, honestis stůdiis ac laboribus occuperis, non difficulter assequeris.

 Quæ-

Quænam per accidens quodammodo huc pertinent?

1. Vt oculi, aures, manus sint continentes, hoc est, ne quid aspiciatur, legatur, audiatur, attrectetur, quod istarum voluptatum desiderium in nobis excitet. 2. Vt lingva etiam nostra, & totius corporis gestus & habitus sit verecundus, ne in aliis turpium voluptatum cogitationem ac desideriũ excitemus.

Quænam hujus virtutis est perfectio?

Virginitas perpetua, hoc est, perpetua ab hoc voluptatum genere abstinentia, corporis & animi puritatem servans: qualis in Domino Iesu & Paulo fuit. Hanc qui capere potest capiat: an quis autem capere possit, in ætatis juvenilis flore cognoscendum est.

Quænam sunt extrema, seu vitia Temperantiæ opposita?

Intemperantia, & ἀναισθησία seu *stupor*.

Quid est Intemperantia?

Est vitium, quod in voluptatibus cibi ac potus, aut venereis modum superat.

Quæ sunt hujus species?

Duæ: *Ingluvies* sive *Gula*; & *Libido* atq; *Impuritas*: quarum illa Sobrietati; hæc Castitati adversatur.

Quid est Ingluvies?

Est Intemperantia in cibo ac potu.

Quomodo dividitur?

In *Vo-*

In *Voracitatem*, & *Ebrietatem*. Illa ingluvies in cibo est; hæc in potu. part.spec.

Quid est Libido?

Intemperantia in voluptatibus venereis.

An sunt ejus species?

Sunt variæ: sed de iis honestius tacemus, quàm loquimur.

Quid est ἀναισθησία seu stupor?

Est vitium in voluptatibus cibi ac potus & venereis modum deserens: seu cum quadam naturæ injuriâ genium defraudans, & à necessariis etiam ac honestis voluptatibus abstinens. Sed hoc adeò rarum est, ut nomen vulgò non invenerit, nec species ejus constituantur, licet ex contrariorum natura constitui facilè possint.

Vtrum vitium est deterius, Intemperantia an Stupor?

Intemperantia. Ratio ex cap. 3. tract. de virtute in genere peti potest.

CAPVT II.

De Magnanimitate.

Quot modis Magnanimitatis vox accipitur?

DVobus potissimùm: Latè & strictè: *Latè*, pro ea virtute, quæ in despicientia rerum humanarum & vitæ ipsius cernitur. quæ despicientia facit, ut etiam res arduas ac difficiles suscipias. *Strictè*, pro ea virtute, quæ in

despicientia bonorum ac malorum externorum, præsertim magnorum spectatur.

Quæ verò sunt externa illa bona, aut mala, circa quæ Magnanimitas strictiùs sumta versatur?

Bona quidem sunt *Honores* & *Divitiæ*: Mala verò iis contraria, *Ignominia*, & *Paupertas*, *opumq́ jactura*.

Quid verò Honorum nomine intelligis?

Non tantum nudam alienæ de dignitate nostra opinionis significationem, sive in verbis, sive in gestibus consistentem, sed magistratus quoq; & imperia, & si quæ sunt alia his similia, quæ ad dignitatem cujusq; spectant.

Quænam sunt præcepta Magnanimitatis laxiùs sumtæ?

I. Ne magnanimus bonũ ullum, præter Immortalitatem, Sapientiã ac Virtutem magni faciat, nec, nisi qua necesse est, appetat, aut in eo parando retinendoq; anxiè laboret.

II. Hinc consequitur alterum, ut animo semper tranquillo, ac constanti sit, fortunæ ac perturbationi nulli cedat, nec secundis efferatur, nec adversis animo frangatur, nec nimis confidat propter temeritatem, nec desperet propter ignaviam.

III. Vt gerat res magnas, vehementer utiles, præsertim publicè, laboris ac periculi plenas.

Num

Num supersunt etiam alia ejusdem virtutis officia?

Sunt quidem & alia, sed ea partim in Magnanimitatis strictius sumtæ; partim in Fortitudinis explicatione tradentur. Hæ enim duæ virtutes illius quædam partes sunt; quanquam eadem Magnanimitas ex aliis etiam virtutibus multa sumit, imò quicquid ferè in quavis virtute maximè splendet, id illa sibi decerpit. quare ea ex singularum virtutum tractatione petantur.

Quænam verò sunt præcepta Magnanimitatis strictiùs sumtæ?

Ea sunt duplicia, prout & illius stratum seu objectum: alia enim ad Honorem & Ignominiam; alia ad Divitias earumq; contrarium spectant.

Quænam ergo ad Honores & Ignominiam spectant?

I. Operam dare debet Magnanimus, ut ab omnibus; sed maximè à viris prudentibus ac virtute præstantibus laudari ac honorari sit dignus: quod quidem fiet, si quam præclarissima semper suscipiat.

II. Honores, quibus dignus est ac magistratus, quibus par esse potest quærere, aut oblatos admittere tunc debet, cum videt, eos sibi ad res eximias, atq; inprimis ad bonorum defensionem fore adjumento; cæteroquin eos spernere potiùs debet.

III. Ignominiam etiam contemnat, cùm sciat, eâ se immeritò affici, & spretam tandem exolescere: calumnias tamen, quæ fidem fortè apud alios invenire, & famam ejus lædere possent, tum verbis, tum factis refutet.

IV. Non moveatur rumoribus imperitorũ, ac multo minus improborum, ut honestatem negligat, aut in publica peccet commoda, Fabii exemplo, ut de eo cecinit Ennius:

Vnus cunctando Romanam restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem.

Quænam in opum aut bonorum jactura Magnanimo sunt observanda?

I. Pecuniã non amet, oblatamq; vel repudiet, si id quæri videat, ut aliis fiat obnoxius: vel beneficentiæ potissimùm causâ capiat.

II. In paupertate bonorumvé jactura ne sit querulus, nec, nisi necessitate quadam compulsus, aliorum opem imploret.

Quæ sunt vitia Magnanimitati opposita?

Potissimùm quidem *Pusillanimitas*; sed opponitur tamen etiam *nimia quædam animi elatio*, quæ partim in *Superbia*; partim in *Audacia* consistit. de quibus duobus posterioribus in sequentium virtutum explicatione agetur: illa enim *Modestiæ* magis propriè opponitur; hæc *Fortitudini*.

Quid est Pusillanimitas?

Est

Est vitium ea, quæ contemni debent, majoris æstimans, & ardua ob metum quendam refugiens. Ejus pars quædā est *Ignavia* seu *Timiditas*, de qua in Fortitudinis explicatione.

CAPVT III.

De Modestia.

Quid est Modestia?

EST virtus, quæ honoris cupiditatem moderatur.

Quo pacto ea differt à Magnanimitate?

Eo, quod *Magnanimitas* dignitatem suam, suasq; vires aliqua ratione æstimat, & honores, præsertim vulgares, tanquam infra suam dignitatem positos, contemnit: quos verò ambit aut admittit, eos vel non supra dignitatem, vel non supra vires suas æstimat. At *Modestia* indignitatem suam ac vilitatem potiùs considerat, & propterea laudis ac honoris cupiditati fræna injicit.

Annon ergo duarum istarum virtutum officia sese mutuò perdunt?

Non: Nam si dignitas atq; indignitas quædam, seu vilitas in eodem homine concurrere possunt, ab eodem etiam homine æstimari non modo possunt, sed & debent: quisque enim se ipsum nosse debet. Et dignitas quidem consideranda est, ne se quispiam ad res indignas abijciat, aut à rebus præclaris ob ani-

animi abjectionem refugiat: vilitas autem atq; indignitas, ne se nimium elevet.

Quæ ergo sunt modestiæ officia?

I. Ne quis se majoribus dignum honoribus judicet, quam revera dign⁹ sit: quod maximè tum ei cavendum est, cùm ab aliis laudatur.

II. Ne eos honores ac laudes, quibus dignus est, cupidè persequatur.

III. Ne alios debito honore ac laude ulla ex parte fraudet.

IV. Ne nimium vel in cultu corporis, vel in reliquo apparatu splendorem sectetur.

Quibus autem modis primum consequitur homo modestus?

Istis: 1. ne bona, quibus honor deferri solet, sibi arroget, quibus planè caret. 2. Ne, si quæ habet, majora esse sibi persuadeat, quam revera sunt. 3. ne ea, quibus est ornatus, majori honore digna censeat, quam revera sunt. 4. deniq;, ne ea sibi potissimùm imputet, & quæ Deo, nonnunquam secundùm Deum etiam aliis adscribenda sunt, suæ industriæ, virtuti, ingenio adscribat, atq; ad suam potissimùm laudem referat.

Quot modis consequitur alterum?

Istis: 1. ne se ipsum laudet, aut ab aliis laudari ac honorari se velle significet, & ejus rei ansam aliquam præbeat. Hoc autem inter alia obliqua via à nonnullis fit, dum se ipsos vitu-

vituperant, suasvé laudes dotesq́; extenuant: ii enim, qui id audiunt, ne videantur eorum vituperationem approbare, eosvé parvi pendere, coguntur dicta illorum aliquo modo refellere, & aliquid ad ipsorum laudem dicere.

2. Si quis tamen interdum honor sit vel quærendus, vel admittendus, ne nimium exultet, & se eo nimium capi, ac laude suâ titillari aliqua ratione significet. Sed ideò tantùm id se facere ostendat, ut occasionem habeat, res præclaras suscipiendi ac perficiendi, quemadmodum in magnanimitatis præceptis dictum est: vel quia benevolentiâ aliorum erga se, cujus indicium est honor ipsi delatus & honestum ipsius præconium, delectetur.

Quomodo verò tertium consequitur homo modestus?

1. Si neminem præ se contemnat, utut aliàs vilem atq; abjectum; & in omnibus hominibus Dei, quam gerunt, suspiciat ac veneretur imaginem. Quod si aliis præterea dotibus sint ornati, eas se in iis & agnoscere & colere pro cujusq; dignitate ostendat.

2. Vt eos inprimis colat, quorum operâ illa, quibus præditus est, bona fuerit consecutus, & ad eorum laudem ea libenter referat. Cùm verò omnia à Deo primùm profluant, ejus-

ejusq; benignitati sint imputanda, ad ejus maximè laudem atq; honorem omnia ea sunt convertenda, isq; quam demississimè est venerandus.

3. Ad omne officii genus etiam vile & abjectum aliis, præsertim Christianæ religionis vinculo ipsi devinctis, paratus esse debet, cùm res atq; usus postulat.

4. Deniq; promtè debet obsequi iis, & singulari quodam honoris genere prosequi, sub quorum est potestate. Sumus autem omnes primùm sub potestate supremi numinis; pleriq; sub imperio magistratus; liberi sub parentum; servi sub dominorum; discipuli sub præceptorum suorum regimine.

Quomodo ultimum consequitur modestus?

Si non modo aliis ejusdem ordinis ac conditionis hominibus splendidiùs sese ac sumptuosiùs non ornet; sed etiam aliquantò viliùs; nisi gravis quædam causa eò compellat, ut majorem quendam apparatum, ac cultum corporis splendidiorem quærat: quam ad rem utile est, proponere sibi exemplum virorum ejusdem ordinis gravium ac honoratorum, Modestia ac Frugalitate reliquos superantium.

Quænam sunt vitia Modestiæ opposita?

Potissimum quidem *Superbia* atq; *Arrogantia*, quæ *Iactantiam* vel sub se complectitur,

vel

vel exſe parit. Deinde *Nimia animi abjectio* ſeu *vilitas*, quam Latini *Humilitatem* vocant; licet ea vox pro *Modeſtia* hodiè uſurpetur. Hæc quia ad Puſillanimitatem ferè pertinet, ideo non eſt neceſſe, de ea plura dicere, præſertim quia ferè eſt rarior.

Quid verò eſt Superbia?

Vitium in appetendis honoribus modum ſuperans.

Quot autem modis illud committitur?

Totidem, quot exercetur *Modeſtia*, ex cujus officiis facilè de Superbiæ ingenio judicari poteſt.

CAPVT IV.

De Fortitudine & Patientia.

Quot modis Fortitudinis vox accipitur?

Duobus: primò propriè, in qua ſignificatione nos mox definiemus. Deinde impropriè, pro quavis affectione, quæ Fortitudini propriè dictæ ſit ſimilis, & in quovis ſive periculo, ſive malo intrepidè ſuſtinendo verſetur.

Quid eſt Fortitudo propriè dicta?

Eſt virtus, quæ in morte pulcherrima, & periculis ejus impendentibus cernitur.

Quæ eſt illa Mors pulcherrima?

Chriſtianis ea eſt mors pulcherrima, idq́ verè, quæ pietatis cauſâ ſubitur: Politicis, iis præ-

præſertim, qui à Chriſtiana religione alieni ſunt, *Mors bellica*. Vnde duplex quodammodo oritur Fortitudo: *Chriſtiana*, quæ verè hoc nomen meretur, & *Politica*, quæ virtutis nomen hodiè vix ſuſtinet.

Quæ eſt mors pietatis cauſa ſuſcepta?

Eſt ea, cùm, niſi mortem ſubire velis, vel veritas foret prodenda, vel quippiam aliud adverſus divina mandata committendum: vel cum pro aliis, fratribus præſertim, anima ponitur, hoc eſt, ideò mors ejusvé diſcrimen ſubitur, ut eorum vitæ, vel æternæ, vel temporariæ conſulatur.

Annon ſunt alia etiam pericula & mala, in quibus perferendis Fortitudo verſatur?

Sunt: nempe ea omnia, quæ eundem ad finem ſpectant, id eſt, ad pietatem ac juſtitiam tuendam, eaq́; morte nominatâ, tacitè comprehenduntur. Qui enim mortem adire juſtitiæ cauſâ non horret, multo facilius cætera mala propter eandem ſpernet.

Quomodo diſtingvitur Fortitudo?

In duas veluti partes: *Fortitudinem* ſtrictiùs ſumtam, & *Patientiam*. Illa in periculis mortis pulcherrimæ, aliorumq́; malorum ſimilium, verſatur: hæc in ipſa illa morte, aut malis perferendis: illa metum ac fiduciam regit: hæc triſtitiam.

Quæ sunt præcepta ad Fortitudinem Christianam spectantia?

I. Ne ad pericula, evidentia præsertim, ac gravia properes: sed diligenter consideres, an ea sit adire necesse: tunc autem necesse est, si non possis discrimen effugere, nisi aliquod præceptum divinum violes.

II. Animus ita muniendus est, ne periculorum magnitudine frangaris, sed ut, quantum ejus fieri potest, & rei fert natura, intrepidus sis ac constans, nec quicquam indignum te admittas, nihil effæminatum aut dicas, aut facias, quod etiam in ipsa malorum perpessione observandum est; imò etiam opera danda, ut cum gaudio quodam mala omnia justitiæ causâ perferas.

III. Cum de æterna aliorum salute agitur, vitæ, si ita res exigat, minimè parcendum est. Sed cum de temporaria aliorum vitâ conservanda agitur, discrimen constituendum est inter fratres, hoc est, eos, qui Christianæ religionis societate nobiscum sunt juncti, & alienos. Pro alienis ut Christianus homo vitam divinæ gloriæ consecratam perdat, non est necesse, imò ne decet quidem: alia multa pro iis impendere, facere, ac perpeti non solum licet, sed etiam decet, præsertim si homines sint non improbi, aut cèrte si nō videantur insanabiles. Pro fratris

vitâ temporariâ nostra tum in discrimen adducenda est, cum illius vita divinæ gloriæ, aliorumq; saluti vel utilior est, vel æque utilis atq; nostra: vel si videamus, aut ipsum vitæ hujus amore inductum, aut ejus necessarios, uxorem præsertim ac liberos ab ipso desertos, facillimè aliquid facturos, quod æternum illis afferat interitum. Nam tum censendum est, æternam aliorum salutem agi, licet per accidens tantum.

IV. Sic nec, ut fratrem, aut quemvis alium tali commodo augeamus, quod ad vitæ conservationem haudquaquam sit necessarium, etiamsi tandem sit insigne, decet hominem Christianum vitam suam in præsens conjicere periculum: sed tum demum, cùm salus aliorum simul agitur, aut res illa ad divinam gloriam insigniter promovendam pertinet.

V. Quam ob causam mortis discrimen adeundum esse diximus, ob eandem multò magis alia sunt pericula subeunda, aut damna doloresq; perferendi. Quod si de aliis, commodis, fratrum præsertim, augendis agatur, hoc semper spectetur, num ad alios ex tuo periculo boni plus, quàm ad te damni sit rediturum. Majus enim damnum propter minus incommodum incurrere velle stultum est.

VI. Quod ad alia sive pericula, sive mala attinet, in quæ non ob justitiam, sed aliam quamcunque causam, sive humanam improbitatem, sive divinam castigationem, sive denique casum aliquem incurrimus, ea etiam moderatè ferre debet vir fortis, nec committere, ut ab animi tranquillitate deducatur, aut quicquam per impatientiam dicat, aut faciat, quod vel in Deum, vel in alios sit injurium, vel animo virili indignum. Nam etsi in his propriè non versetur fortitudo, efficit tamen, ut etiam in aliis rectè te geras.

Quæ præcepta Fortitudinis politicæ seu bellicæ tradi possunt?

I. Vt bellum justè suscipiatur. Iustè autem suscipi statuunt, cum injurias, easq; graves vel à nobis, vel à nostris, hoc est, patria, parentibus, uxore, liberis, cognatis, amicis aliter depellere non licet, & ab iis suscipitur, quibus vindicandi aut defendendi legitima est potestas. Omnia enim priùs tentanda esse monent, quàm ad arma deveniatur, & ei, qui vindicandi legitimam potestatem non habet, mussitandam potius vel ferendam esse injuriam, quàm vi repellendam.

II. Vt justè etiam geratur. Ad quod *Primùm* pertinere putant, ut bellum justo tempore indicatur. *Deinde*, ne quis dolo malo, aut per-

part. spec. fidia utatur in hostem, ne item venenis.

III. Vt in periculis adeundis tum prudentia adhibeatur, tum animi constantia, & vitæ, si ita res exigat, non parcatur.

IV. Ne sæviatur in victos, eos præsertim, qui se fidei tuæ permiserunt: inermi vis ne inferatur, & ubiq; detur opera, ne ad innocentes calamitas belli perveniat.

Quæ sunt vitia Fortitudini opposita?

Audacia, & *Timiditas*, seu *Ignavia*.

Quid est Audacia?

Est vitiũ in pericula temerè sese conijciens.

Quid Ignavia?

Vitium in metu modum superans, aut pericula nimium fugiens.

Annon miscentur aliquo modo ista vitia?

Miscentur: nam nonnulli sunt ante pericula, aut etiam inter initia periculorum feroces, in ipsis animum despondent, qui Græcis dicuntur θρασύδειλοι. Ad hoc genus etiam illi pertinent, qui sibi ipsis manus violentas inferunt: nam audaces videntur, quod mortem non horreant; timidi, quod id ob impatientiam, aut metum cruciatuum, ignominiæ, aliorumq; malorum faciant.

CAP.

CAPVT V.
De Mansuetudine & Clementia.

Quid est Mansuetudo?

Est virtus, quæ in ira moderanda cernitur.

Quid est Ira?

Est cupiditas reponendi doloris orta ex opinione injuriæ.

An mansuetudo etiam non versatur circa vindictam?

Versatur: nam dum circa iram versatur, versatur etiam in ejus effectu proprio, is autem est Vindicta. Nam dolor ille, quo iratus affici vult eum, qui videtur læsisse, injuriâ, vindicta est, latè hoc nomine extenso, ut quamvis pænam etiam à legitima potestate inflictam comprehendat.

Quæ sunt præcepta Mansuetudinis generalia?

I. Ne unquam innocenti, licet fortasse cum eo, qui te tuosvé læsit, conjuncto irascaris, & tanquam injuriæ participem atq; affinem tractare cupias. Quare nec patri innocenti propter filium, nec contra irasci debes.

II. Ne unquam adeo efferaris ira, ut eum, qui te revera læsit, puniendum statuas, aut re ipsâ punias, eum tantum in finem, ut ipsi malè sit, & tu cupiditatem tuam exsaties, sive pæna illa delicto sit par, sive minus. Hæc e-

nim est vindicta strictiùs sumta, quæ in Sacris Literis prohibetur, & ejus cupiditas est ira illa, quæ in peccatorum gravissimorum numero reponitur.

III. Vt tardè animo commovearis, ac diu molestias & injurias feras, nec ad pœnam properes, quod vox μακροθυμίας, hoc est, *Longanimitatis* indicat, quâ virtus hæc in Sacris Literis insignitur.

IV. Vt si contingat aliquando te commoveri, ne graviter irascaris, sed iram facilè deponas, tum per te ipsum, tum multo magis, si alterum delicti pæniteat, & is culpam deprecetur, id quod Græcè πραότητος, seu *Lenitatis* ac *Placabilitatis* nomen postulat.

V. Vt ei etiam, qui læserat, benefacere studeas, ei comem tum in vultu, tum in verbis te præbeas, & ejus injurias beneficiis vincas: id quod χρηστότητος nomine exprimitur.

Quotuplex est Mansuetudo?

Duplex: vel enim est Privati erga quemcunq;: vel ejus, qui aliquod imperii ac potestatis genus habet in alterum. Illa generale tantum Mansuetudinis nomen retinet: hæc speciali nomine *Clementia* dicitur.

Quid est clementia?

Est lenitas superioris erga inferiorem, seu mansuetudo ejus, qui regit, in eum, qui potestati ejus subjectus est. Regit autem in universo

verso Deus: in Republica Magistratus: in bello Imperator: in familiâ Pater, seu Herus.

Quotuplicia sunt Clementiæ præcepta?

Duplicia: quædam ad pœnæ *remissionem* pertinent; quædam ad moderatam pænarum *inflictionem*.

Quænam sunt in condonatione pœnæ spectanda?

I. Spectandum est ipsius delicti genus, seu peccati per se considerati gravitas, aut levitas. Levioribus enim facilius dari potest venia, quàm gravioribus, cæteris paribus.

II. Spectandum est, an ex imprudentia aut imbecillitate quadam hominibus familiari delicta fuerint profecta: qua in re ætatis, judicii, virium, occasionis, avocamentorum & irritamentorum, quæ nunc majora sunt, nunc minora, diligens habenda est ratio. Imprudentia enim & imbecillitas delictum elevant, aut mitigant.

III. Spectanda est ante acta vita: nam qui rariùs ac minùs graviter peccarunt, iis vel condonanda est culpa, vel mitiùs cum iis agendum.

IV. Ratio habenda est resipiscentiæ, ac doloris factum consequentis: nam ii, qui graviter dolent factum, contumaces non sunt, & dolor illis instar pœnæ est.

Quæ sunt præcepta clementiæ in pœnarum inflictione spectanda?

I. Vt non nisi eos punias, qui meriti sunt, nec ultra meritum: quod præceptum etiam ad Iustitiam pertinet.

II. Vt non nisi eos punias, qui vel contumaces sunt ac refractarii: vel aliis ad facinora fuerunt autores: vel impunitate deteriores possunt fieri: vel quorum impunitate alii corrumpi possent: vel deniq; cùm invidiosum foret punienti, illis prorsus ignoscere, aliis pœnæ subjectis. Potissimum autem puniendi sunt contumaces, & antesignani scelerum, qui imperium aut leges contemnunt, ordinem bonum in societate turbant & disciplinæ nervum convellunt. Contumacia autem vel proditur apertè, contemtu imperii, qui verbis aut factis declaratur; vel ex his potissimùm indiciis colligitur: 1. ex eo, quod quis idem delictum sæpiùs, præsertim monitus, iteret. 2. quod sciens prudens spretis admonitionibus, minis, castigationibus præcedentibus, multisq; aliis, quæ eum à peccato dehortari possunt, aliquid admittat, præsertim grave, ac sæpiùs idem repetat. 3. quod dolor & resipiscentia delictum, etiam post admonitiones & objurgationes, non consequatur.

III. In pœnâ infligenda observãdum est, ne

is, qui

is,qui punit,alterius pœna per ſe delectetur, aut ullam ex ea ſe capere voluptatem oſtendat.Ideoq; ſi fieri commodè poſſit,per alium eam potiùs, quam per ſeipſum exequatur, ac ne ſpectet quidem.

IV. Acerbitas ac contumelia, quam coërcendorum delictorum ratio non omninò poſtulat, abſit à pœna; quod fiet, ſi ea infra delicti meritum ſubſiſtat, & ei, qui pœnam ſuſtinet, non inſultetur adhuc & illudatur.

V. Caveatur, ne eo usq; progrediatur ſupplicii ſeveritas, ut is, qui punitur, vel corrigi amplius nequeat, vel neceſſariis ſupereſſe laboribus non poſſit.

VI. Cùm multi ſimul peccarunt, danda eſt opera, ut pœna ad paucos, metus verò ad omnes perveniat: quod fiet, ſi facinorum autores & anteſignani potiſſimùm puniantur.

VII. Ne caſtigatione irritentur eorum animi, qui eam ſuſtinent: quod fiet, ſi prius verbis oſtenderis, eos juſtè puniri, ac moderationem in ipſa pœna adhibeas: nec enim iraſcimur, cùm juſtè nos aliquid pati arbitramur; ſed cùm injuſtè,aut graviùs,quàm conveniebat.

VIII. Ne privatam ex pœna utilitatem videaris quærere: quod tamen aliquatenus licet, cùm is,qui punit,eſt pars læſa, & id agit, ne in poſterum lædatur.

Quotuplicia sunt præcepta Mansuetudinis, quâ uti debent ii, qui in alios imperium non habent?

Duplcia: quædam enim usurpanda sunt adversus superiores, quædam adversus pares.

Quomodo se gerere debet Mansuetus adversus superiores?

Præter generalia Mansuetudinis præcepta, hoc I. observet, ne, si forte injuriam inferre cogitent, vi illis resistat, sed vel jure se tueatur, vel precibus, tum suis, tum alienis injuriam avertat, vel fuga aliavé honesta arte declinet, vel tandem, si declinare non possit, patienter ferat.

II. Illatam jam injuriam ne vindicet, sed si possit, restitutionem damni requirat, & de futura securitate, atq; ab injuriis immunitate sibi caveri curet.

III. Ne irâ facilè commoveatur erga superiores, etiam eâ, quæ in pares aut inferiores licita est. Inprimis verò parentibus, aut iis, qui parentum loco sunt, quiq; plurimis ipsú beneficiis cumularunt, irasci caveat.

IV. Adversus Principes, etiam alienos, majori utatur iræ continentia, quàm adversus alios quosvis.

Quomodo se gerere debet Mansuetus erga pares?

Hîc distingvendum est tempus ante injuriam, & post injuriam illatam. I. An-

I. Ante injuriam illatam,ubi res patitur, jure potius, quam vi agendum eſt,& declinanda potius injuria, quàm durioribus modis repellenda.

II. Si aliter tutus eſſe nequeas, & res ita ferat, magiſtratus auxilium adverſus eum, qui injuriam inferre conatur,implorare licet, ut vi etiam coërceat hominem, imò in quibusdam injuriæ generibus decet. Cavendum tamen eſt, ne vindicaſſe te jam videaris, & ne forte gravius malum, aut ei par, quod tu fuiſſes perpeſſurus,incurrat is,quem ad magiſtratum defers.

III. Si magiſtratus opem implorare res non permittat, injuria tamen cogitata ſit intolerabilis,defenſio legitima eſt adhibenda, in quâ tamen omnis vindictæ cupiditas, de qua ſuperius actum,cavenda eſt,& id tantum agendum, ut injuriam à te tuisq; avertas.

Poſt injuriam illatam I. Reſtitutionem damni legitimis modis etiam per magiſtratum licet requirere, ſi modo caveatur, ne is, qui læſit, pœnam ejusmodi ſimul incurrat, quæ vindictæ ſit loco.

II. Pœnam læſus poſtulare non debet, niſi emendandi ejus cauſâ, qui peccavit, aut ſecuritatis publicæ privatæq; gratia, iis prætereа obſervatis, quæ de pœnarum inflictione ſûpra docuimus.

Quæ

Quæ sunt vitia Mansuetudini opposita?

Iracundia, sub quâ *Crudelitas* continetur, & *Ἀοργησία* seu *Lentitudo*.

Quid est Iracundia?

Est vitium in irâ modum superans. Cùm autem de irâ loquimur, simul etiam vindictam, quæ illius proprius est affectus, intelligimus.

Quibus modis committitur hoc vitium?

Quinq; potissimùm modis. 1. Cùm quis irascitur iis, quibus non debet; ut *Parentibus*. 2. Cum ob eas causas, ob quas non debet: ut, *cum quis ab amicis monetur*. 3. Cum graviùs aut diutiùs irascitur, quam debet. 4. Cum sese vindicat, sive verbis, sive factis, eo vindictæ genere, quod vitiosum esse docuimus. Et hîc propriè locum habet *Crudelitas*. 5. tandem cùm loci, aut rei, quæ agitur aut personarum, quæ adsunt, non habetur ratio: ut *cùm quis in templo, cùm res divina peragitur, aut præsentibus viris magnis aliisvé, quos revereri debemus, irâ, præsertim vehementiori, effervescat, & affectum indiciis externis prodat.*

Quot sunt Iracundorum hominum genera?

Duo potissimum: Primum eorũ, qui quamvis ob causam, quibusvis celerius & vehementius irascuntur, quàm oportet; verum celeriter irasci desinunt, & iram non celant, sed statim veluti effundunt: inter quos illi,

qui

qui celerrimè & vehementissimè irascuntur, ἀκρόχολοι dicuntur, quasi flavâ bile perciti.
Alterum genus eorum est, qui vehementer irascuntur, & ægrè desinunt irasci, ac propemodum sunt implacabiles. Atq; hi iterum sunt duplicis generis: Quidam enim ferè justis tantum de causis irascuntur, sed iram premunt vindictæ occasionem expectantes; nonnunquam tamen longinquitate temporis injuriæ memoriam delent: & hi dicuntur πικροὶ, acerbi. Quidam verò quibusvis de causis gravissimè irascuntur, iram diu alunt, & non nisi vindicta sedari solent; & hi sunt omnium pessimi, dicunturq; ἄγριοι feri, sævi, atroces, immanes.
Quotuplices sunt Iracundiæ causæ?
Duplices. Internæ & Externæ. Internæ tres: *Temperamentum*, quale est cholericorum: *Imbecillitas*, & *Consuetudo*. Externæ sunt omnia, quæ contemtũ nostri arguunt, aut desideriis nostris, præsertim vehementioribꝰ, obstant.
Quæ sunt iracundiæ remedia?
I. Vt cogites, quantopere ipse in Deum peccaveris, & quantum tibi ab ipso, vel condonatum sit, vel condonari velis. Quam enim veniam à Deo expectat homo, eam homini denegare non debet.
II. Vt cogites, nunquid ipse in alios deliqueris, aut delinquere possis, adeoq; imbe-
cillita-

cillitatem tuam agnoscens in alios ne sævias, & quam in altero desideras æquitatem, eâ ipse adversus alios utaris.

III. Vt iræ turpitudinem, & gravissima, quæ inde partim ad te, partim ad alios redundare possint, mala, sæpissimè consideres. Mala autem illa partim ad animum pertinent, partim ad corpus; partim privata sunt, partim publica.

IV. Vt consideres & laudabile, & utile sæpe esse, non irasci, nec vindicare injurias. Nam quemadmodum jactatur senarius ille: *Veterem ferendo injuriam invites novam*; ita non repudiandus ille: *Veterem ferendo injuriam vites novam*. Præsertim cùm res est cum hominibus non planè improbis, qui lenitate nostrâ emolliri, & emendari nonnunquam possunt: & etiamsi invites injuriam novam, laus tamen apud cordatos, præmium apud Deum manet.

V. Vt expendas levitatem causarum, quæ iram nonnunquam excitant. Frivolis enim sæpe & inanibus turbamur.

VI. Ne quicquam bonorum caducorum, quæ ab aliis eripi tibi possent, nimis appetas, aut speres, aut de iis retinendis nimis sis anxius: minus enim irasceris, si iis excidas.

VII. Vt fugias irarum occasiones, & causas, quas potes præcidas. Itaq; inprimis sunt vitan-

part. ſpec.

vitanda colloquia cum hominibus contentioſis, moroſis, ſuperbis.

VIII. Vt, ſi forte irâ efferaris, moram adhibeas, antequam quicquam loquaris, aut facias, aut ad caſtigandum accedas. Quod ſi placet Athenodori conſilium Auguſto datum, alphabetum prius animo percurras: vel potius precationem dominicam, in quâ vindictæ remedium præter moram reperies efficaciſſimum. Præterea etiam poſt primum iræ impetum danda eſt opera, ut oblivione, quam injuriarum remedium eſſe vetus aſſerit verbum, offenſas ſepelias.

IX. Conſideres tum dicta, tum facta ſapientum ac piorum virorum, quæ iram frænari poſſe ac, debere oſtendunt. Sententiæ autem plurimæ, & exempla huc pertinentia tum in ſacrâ, tum in profanâ hiſtoria extant.

X. Socrates Speculum iræ remedium eſſe dixit. Iræ enim deformitatem in facie apparentem quemq; ab ea dehortaturum putavit. Poſſunt etiam quædam ex medicinâ peti, cum iracundia ex temperamento pendet: inprimis autem fugiendus eſt cibus ac potus, qui nimium calefacit. *Hactenus de iracundiæ altero Manſvetudinis extremo.*

Quid eſt Lentitudo?

Eſt vitium in irâ modum deſerens. Sed hoc ita rarum eſt, ut vulgo nomen non invenerit,

part. spec. rit, & committitur tum, cùm quis gravissimis sceleribus nihil commovetur, nec ad ea coërcenda animi quodam impetu fertur. Oritur enim ira interdum à recta ratione, ut in Domino Iesu apparet, de quo consulenda est sacra historia.

Vtrum extremum est deterius?

Hoc quidem facilè est videre. Iracundiam enim deteriorem esse patet, 1. quia Ira, cui habenas laxat, est affectus vehementior. 2. quia ad eam natura sumus proniores. 3. quia frequentior. 4. quia damnosior & societati humanæ infestior.

CAPVT VI.

De Iustitia

Sectio Prima.

Distingvitur Iustitia in Vniversalem & Particularem.

Vniversalis explicatur.

Quid Iustitiæ vox in Politicis significat?

Virtutem, quâ præstamus ea, quæ alteri debentur. *Deberi autem dico illa, ad quæ facienda quispiam ita est obstrictus, ut, si ea non præstet, civili jure adversus eum agi possit.*

Quotuplex est?

Duplex. Vniversalis & Particularis.

Quid

Quid est Iustitia Universalis?

Virtus omnia ea præstans, quæ legibus à vera prudentia profectis sunt constituta. Est ergo nihil aliud, quam virtutis perfectæ usus, quatenus ad alterum spectat, cùm legibus à prudentiâ verâ profectis omnium virtutum officia, quæ ad societatem civilem conservandam spectant, præscribantur.

Quid est Lex?

Præceptio quædam generalis à legitima potestate proposita: seu, Sententia communis aliquid vel jubens, vel vetans, obligans aut ad obedientiam, aut ad pœnam. Nam quæ de rebus singularibus feruntur, *decreta, plebiscita* aut *psephismata*, non leges propriè dicuntur.

Quotuplices sunt Leges?

Duplices, ut jam apparuit: *Iubentes* & *Vetantes*; vel ut alii loquuntur *affirmantes* & *negantes*. Illæ facienda docent; hæ omittenda. Illæ tum demum sunt observandæ, cum earum exercendarum est occasio: hæ semper.

Nonne est alia adhuc Legum divisio?

Est, quod aliæ sint *Naturales*, aliæ *Positivæ*. quæ divisio intelligetur paulò post, cùm de divisione Iuris agetur.

An Iustitiæ duo opponuntur distincta vitia, quemadmodum cæteris virtutibus?

Non: sed unum tantum nempe *Injustitia*,

quæ duo veluti extrema in se complectitur. Nam quocunq; modo adversus leges peccetur, sive per audaciam, sive per timiditatem, sive per profusionem, sive per avaritiam, injustum illud admittitur, quod cum Iustitia universali pugnat. Eodem modo etiã Iustitiæ particulari una tantũ opponitur Injustitia.

Quid est ergo Injustitia illa, quæ Iustitiæ universali opponitur?

Vitium ea non præstans, quæ legibus à verâ prudentiâ profectis sunt constituta. Vnde Græcis παρανομία dicitur, & qui eâ laborat παράνομος.

An potest quis simul omni genere Injustitiæ laborare?

Non potest: cum vitia quædam, eorumq; actiones magis inter se dissideant, quàm repugnant virtutibus vitia.

Sectio Secunda.

De Jure.

Quot modis Iuris nomen accipitur?

Duobus: vel pro facultate ac licentia agendi, quæ Græcis ἐξουσία dicitur, *quâ ratione jus mihi est, rem meam vendendi, donandi, repetendi:* vel pro obligatione seu obstrictione ad aliquid præstandũ, præsertim alteri, *qua ratione jure adigor ad reddendum debitum.* Vnde etiam Iustum dupliciter sumitur, vel pro eo,

quod

quod rectè & honestè fieri potest: vel pro eo, quod omnino fieri debet, seu, ut fiat æquum est. Hoc loco de Iure in posteriori significatione accepto inprimis agemus, cum ab eo Iustitia dicatur.

Quotuplex est Ius?

Duplex: aliud *Politicum* seu *Civile*; aliud *Oeconomicum* seu *domesticum*. Istud proprie ac simpliciter *Ius* dicitur: hoc secundum analogiam & similitudinem quandam.

Quid est Ius Politicum?

Quod est hominum liberorum societatem civilem inter se colentium. Liberos appello eos, qui sunt sui arbitrii, non alieni dominii ac potestatis. *qua ratione excluduntur servi, & filii non emancipati, imò & uxor sub viri potestate constituta.*

Quotuplex est jus Politicum seu Civile?

Duplex. *Naturale* & *Positivum.*

Quodnam dicitur Naturale?

Quod naturalis ratio omninò jubet, nec ab arbitrio hominum pendet, ita ut vel fieri, vel omitti pro eorum voluntate rectè possit. Itaq; apud omnes rectè sentientes omni tempore, ac loco idem est. Sub hoc comprehenditur *Ius naturale* à Iureconsultis dictum, angustè sumto vocabulo pro eo Iure, in quo cum brutis aliquo modo convenit homini: & *Ius gentium*, quod omnibus hominibus tan-

tum commune est. *Tale est, non occidendum innocentem: nulli rem suam eripiendam.*

Quodnam dicitur Positivum?

Quod ab hominum arbitrio pendet, & ob Reipublicæ utilitatem à legitimo magistratu sancitur. Itaq; antequam sanciatur lege, ἀδιάφορον, seu *Indifferens* est, & vel fieri, vel omitti potest: postquã statutum est, ἀδιάφορον esse desinit. Et hoc non apud omnes est idem, sed pro diversitate Rerumpublicarum, temporum, locorum, ac hominum diversum. Hoc à Iureconsultis *Civile*, strictè hac voce acceptâ, dicitur. *Tale est illud* v. g. *Polonorum, ne nobilis in vincula conjiciatur, nisi jure fuerit victus.*

Ius Domesticum quid est?

Quod illis, qui eandem familiam constituunt, intercedit.

Quotuplex est?

Duplex, pro duplici personarum, quæ familiam constituunt, discrimine. Aliæ enim pares inter se censentur esse, ut *Fratres* sub patriâ potestate constituti, & *Servi*: aliæ impares, quarum alia alteri est subjecta. Itaq; aliud jus inter pares versatur, aliud inter impares.

Quotuplex est Ius domesticum, quod imparibus intercedit?

Triplex: *Vxorium, Patrium, Herile.* Vxorium est

est, quod conjugibus intercedit. Patrium, quod inter parentes & liberos versatur. Herile, quod inter Dominum & Servum. Nomine autem *Domini* etiam *Dominam*: nomine *Servi* etiam *Ancillam* comprehendimus. Quibus Ius per analogiam sic dictum convenit, quia omnibus naturalis arbitrii vis competit, & actionum suarum aliquo modo sunt domini, & nonnihil habere videntur suum, quod illis non rectè quâvis de causa eripiatur: unde societas & mutua quædam obligatio illis intercedit. part. spec.

Cur non est jus propriè dictum inter Maritum & Vxorem, Parentes & Liberos?

Quia conjuges veluti unum corpus sunt, ut & parentes cum liberis, qui pars quædam sunt parentum. At Ius propriè non est eidem adversus se ipsum, sed adversus alterum, quemadmodum & injuria: nemo enim propriè sibi ipsi facit injuriam.

Cur verò non est Ius propriè dictum inter Dominum & servum?

Quia servus est quædam res domini, seu instrumentum heri animatum. At nemini jus intercedit cum re suâ, quemadmodum nec rem suam quisquam potest injuriâ afficere.

Quodnam autem istorum Iurium ad Ius propriè dictum proximè accedit?

Maritale seu Vxorium: major enim est æquali-

qualitas inter maritum & uxorem, quam inter cæteras personas impares: & cum uterq; aliquo modo in domo imperet, sui videntur arbitrii. Verum quia uxor marito subest, ideo juris ratio hîc à proprietate discedit. *Hæc de jure abstractè sumto.*

Quænam sunt concreta à Iure deducta?

Iustum, Iustum factum, & Iustè factum.

Quomodo hæc à se mutuò differunt?

Iustum dicitur aliquid etiam antequam fiat: *Iustum factum* tum demum, cùm re ipsâ peractum est: *Iustè factum* deniq;, quod sponte factum est; & hoc, si consilium accesserit, justitiæ habitum arguit. Itaq; Iustum latius patet, quam Iustum factum, & hoc latius, quàm Iustè factum, cum justum factum esse possit involuntarium.

Quæ hîc opponuntur?

Iuri opponitur *Nefas*: Iusto, *Injustum*: Iustè facto, *Injustè factum*, quod propriè dicitur *Injuria*, &, si consilium accesserit, injustitiæ arguit habitum.

Sectio Tertia.

De Æquo Bono & Æquitate.

Quid est Æquum Bonum?

Est juris legibus comprehensi moderatio & correctio quædam.

Cur verò correctione juris legalis opus est?

Quia

Quia leges generalioribus verbis concipi solent, cùm tamen de eo tantum, quod ut plurimum obtinet, loquantur. Quare si casus aliquis incidat, ubi circumstantiarum ratio suadet, ut à generali legis præscripto discedatur, quod ipse etiam legislator vellet, si adesset, defectus legis, quæ casum illum expressè non exceperat, corrigendus est, & sententia legislatoris, non verba legis spectanda.

Cedò aliquod hujus rei exemplum?

Sit, verbi gratiâ, *lex, ut Homicida capite plectatur: accidat autem, ut quis per ignorantiam non affectatam aliquem occidat; non debent hîc legis verba spectari, sed sententia legislatoris, qui eos demum voluit capite plecti, qui sponte quempiam occidissent. Quare cædes per imprudentiam admissa est excipienda, & absolvendus is, qui eā admiserat.*

Estné Æquum Bonum à Iure prorsus diversum?

Non: sed tantum à jure legibus comprehenso, & quidem eo, quod emendatione quadam eget, quod *Ius strictum*, interdum etiam *Ius summum* appellatur; de quo accipiendum est illud vulgatum: *summum jus, summa iniuria.* Itaq; æquum bonum strictum jus corrigens maximè jus est.

Quid est æquitas?

Est Iustitia, quæ jus legibus comprehensum moderatur, ac corrigit, eaq; ex parte cum benigni-

nignitate magnam habent cognationem, cùm de jure suo libenter cedat, nec rigidè id persequatur.

Quid ei opponitur?

Iniquitas & rigor, qui de verbis ac jure scripto nihil remittit, etiamsi circumstantiarum ratio aliud postulet.

Sectio Quarta.

De Iustitia Particulari. in genere.

Quid est Iustitia particularis?

Est virtus in bonis externis, quæ alteri debentur, tribuendis æqualitatem analogicam servans.

Quæ sunt bona illa externa?

Honores & *Pecuniæ.* Pecuniæ autem nomine omnia ea, quæ pecuniâ æstimari solent, complectimur, sive sint res corporales, hoc est, quæ tangi possunt, ut *fundus, domus, mancipium, vestis:* sive incorporales, quæ tangi non possunt, ut *labores* & *operæ*, quæ pecunia locari ac redimi solent, *usus ædium*, aut *alterius cujuspiam rei.*

An justitia hæc non versatur etiam in horum bonorum contrariis?

Versatur: sed secundariò; nos autem in definitione tantum primarii, ad quod secundarium reducitur, fecimus mentionem.

Quid

Quid vocas Æqualitatem analogicam?

Æqualitatem compositam, seu in quatuor minimum terminis consistentem, quæ *æqualitas rationum* dici solet.

Quid vocas Terminum?

Rem quamvis, quæ in comparationem cum altera venit: *qualis est*, verbi gratiâ, *Episcopus, Pastor, Ecclesia, Grex.*

Quid Rationem?

Duorum terminorum seu rerum inter se respectum ac comparationem: ut *respectum, qui est inter Episcopum & Ecclesiam; itemq; inter Pastorem & Gregem.* Quod si respectus seu comparationes diversarum rerum inter se sint similes, convenientia illa *Analogia* dicitur: & si æqualitas aliqua ibi locum habet, (quod fit, ubi comparatio est quantitatis, sive propriè, sive impropriè dictæ) *Æqualitas analogica* vocatur. Vt in hac comparatione; *quemadmodum se habent 2. ad 4. ita 3. ad 6. Nam utrobiq; est ratio dupla. Quaternarius enim est duplum binarii, ut senarius ternarii.*

Estne ergo alia adhuc æqualitas præter analogicam?

Est, nempe simplex, quæ in duabus etiam rebus locum habet, eandem quantitatem, qualemcunq; tandem, habentibus. Sic *decempeda decempedæ æqualis est, binarius binario.*

Quotuplex est æqualitas analogica?

Duplex: *Disjuncta* & *Conjuncta*. Disjuncta, cùm omnes termini, inter quos versatur comparatio, sunt separati; ut 2. 4. 3. 6. Conjuncta, ubi unus terminus bis sumitur, & duabus rationibus est communis, adeo ut actu sit unum, potestate duo. ut, si dicam: *quemadmodum se habent 2. ad 4. ita 4. ad 8. quaternarius numerus communis est utriq; rationi, ac licet unus sit, re ipsa duorum tamen vicem obtinet: itaq; analogia est conjuncta.*

Qualis analogia in Iustitia particulari locum obtinet?

Disjuncta. Nã Iustitia hæc semper versatur inter duas minimùm personas distinctas, & res duas distinctas. Inter personas distinctas: quia Iustitia omnis est adversus alterum. Inter res distinctas: quia minimùm res duæ requiruntur, quæ inter se aliquo modo exæquandæ sunt, & distinctis personis applicandæ, quemadmodum ex distributione & permutatione rerum postea intelligetur.

Cur verò dicis Iustitiam hanc minimùm inter duas personas & duas res versari?

Quia & personæ & res, inter quas versatur Iustitia, possunt esse longè plures. ut, *cùm singulis militibus in toto exercitu præmium aut prædæ portio est tribuenda.*

Quid est Iustitia particularis?

Vitium in bonis externis, quæ alteri debentur,

tur, tribuendis æqualitatem analogicam non servans. Eo qui laborat πλεονέκτης dicitur, quasi eùm dicas, qui plus habeat, quàm alter, seu quàm analogia postulat. Nam qui injurias facit alteri, plus habere censetur, qui injuriam passus est, minus; illi aliquid accessisse, huic decessisse censetur. Ideò justitia hîc interjecta æqualitas est: medium enim inter plus & minus æquale est.

Annon interdum is, qui injuriam facit, minus habet, qui patitur plus, nempe de oneribus & malis?

Habet: sed nihilominus etiam tum plus habere dicendus est is, qui facit, minus is, qui patitur injuriam, nempe de bonis. Nam minus malum majoris boni habet rationem; majus contra malum minoris boni. πλεονέκτης autem ideòdicitur is, qui facit injuriam, quod de bonis plus capiat, non quod de malo.

Sectio Quinta.

Iustitiæ Particularis divisio.

Explicatio Distributivæ, quæ prima est illius species.

Quotuplex est Iustitia Particularis?

DVplex: altera *Distributiva*; altera ea, quæ in contractibus versatur, quæ vel est *Commuta-*

Commutativa, vel *Correctiva*, ut suo loco dicetur.

Quomodo à se invicem distingvuntur?

Duobus modis: partim materiæ ratione, partim formæ.

Quomodo ratione materiæ?

Quod Distributiva in bonis aut oneribus communibus cernitur; altera illa in bonis singulorum, seu privatis.

Quomodo ratione formæ?

Quod Distributiva dignitatem ac conditionem personarum spectat, & divisionem ad eam accommodat; ea verò, quæ in cõtractibus, dignitatem personarum non spectat, nisi fortè per accidens; sed personas tanquam æquales sumens, res ipsas etiam ad æqualitatem redigere conatur. Docti ita hoc discrimen efferunt: quod Distributiva Iustitia *analogiam Geometricam* observet; ea, quæ in contractibus, *Arithmeticam.*

Quæ hinc distributivæ Iustitiæ colligitur definitio?

Quòd sit Iustitia in divisione rerũ proportionem geometricam servans: seu, Iustitia ad dignitatem personarum partitionem bonorum aut onerum accommodans.

Quænam est illa dignitas personarum in distributione spectanda?

Causa justa, ob quam aliquis, vel de com-

munibus

munibus bonis participare, vel partem communium onerum ferre debeat. sic *in præmiis dividendis virtus ac labor cujusque spectatur: in mulctis delictum; in honoribus publicis nonunquam etiam nobilitas aut census consideratur: in lucro communi nunc labor, nunc magnitudo pecuniæ, quam quis in societatem attulerit; in contributionibus ac oneribus civitatis, facultates uniuscujusque & commoda, quæ quis in civitate percipit.*

Declara hoc exemplo?

Sint, verbi gratiâ, *spolia dividenda inter Vlyßem, Patroclum, & Achillem: dignitas, quæ spectanda est in hac distributione, est fortitudo in prælio ostensa. ponatur autem Patroclus duplo fortior Vlyße, Achilles triplo: ergo Iustitia distributiva requirit, ut spolia, quæ Patroclo dantur, sint duplo preciosiora iis, quæ Vlyssi obveniunt, ea vero, quæ Achilli, triplo præstantiora.* Sic, *si mercatorum unus in societatem contulerit decem florenorum millia, alter duo: lucrum commune sit mille ducentorum florenorum: priori de lucro debentur mille floreni, posteriori ducenti. nam quæ ratio duorum millium ad decem millia, eadem est ratio ducentorum ad mille; ratio utrobique est quintupla.* Sic, *in contributione civium, si is, qui sex millia possidet, dat florenos sexaginta; is, qui mille possidet, dare debet decem; utrobiq; est ratio sextupla.* Ex quibus facilè apparet, quid sit Iustitia, quæ in distributione cernitur.

Sectio

Sectio Sexta.

De Iustitia
Quæ in Contractibus cernitur,
hoc est,
Commutativa & Correctiva.

Quid Contractûs nomine hoc loco intelligis?

ACtionem omnem, ex qua alter alteri ad quidpiam præstandum sive in præsens, sive in futurum obstringitur.

Quotuplices sunt ejusmodi contractus?

Duplices: Voluntarii & Involuntarii.

Qui dicuntur Voluntarii?

Qui utriusque partis contrahentium consensu, ac voluntate constant: ut *venditio & emptio, mutuum, commodatum, depositum, locatio & conductio, fidejussio.*

Quinam dicuntur Involuntarii?

Qui altera parte invita oriuntur, suntq; omnis generis injuriæ: Atque hi iterum sunt duplices: vel enim clandestini sunt, ut *furtum, adulterium, veneficium, servi alieni corruptio, falsum testimonium:* vel aperti ac violenti, ut *verbera, vincula, debilitatio, cædes manifesta, rapina, contumelia.* Involuntarium enim duplex est,

plex est, alterum *per ignorantiam fit*, alterum *vi*.

Quomodo appellatur ea Iustitia, quæ in Contractibus cernitur?

Commutativa.

Quomodo ea, quæ in Contractibus Involuntariis?

Correctiva seu Emendativa. unde definitiones utriusqne facilè colligi possunt, adjuncto ad objectum genere.

Quod est officium Iustitiæ Commutativæ?

Vt res, quæ inter se permutandæ sunt, exæquentur, ratione pretii: deinde fiat permutatio, ita ut hîc rem illius capiat, ille hujus. v. g. *si agricola frumentum habeat, sutor ocreas, velintq; inter se permutationem justam instituere, priùs æstimatio tum frumenti, tum ocrearum est instituenda, ac pretium exæquandum; et, si constet, duo paria ocrearum respondere pretio unius modii frumenti, agricola unum frumenti modium dare debet, & vicissim à sutore duo paria ocrearum accipere, vel id, quod tantundem valeat.* Nihil autem refert, sive in præsens det, sive in futurum altero consentiente promittat. Promissum enim, donec tempus exhibitioni præstitum advenerit, loco rei est.

Quænam est mensura ea, quâ rerum pretia sunt definienda?

Ea duplex est. Altera Naturalis: altera hominum arbitrio constituta.

Quænam eſt Naturalis?

Indigentia, quæ eſt defectus rei alicujus utilis. Vnde apparet, duo ad indigentiam requiri, adeoq; in rerum pretiis conſtituendis eſſe conſideranda: Primò carentiam ſeu abſentiam rei, ad quam etiam raritas ſpectat, quæ rerum pretia ſæpe mirum in modum auget, ut *in gemmis accidit:* deinde uſum, qui quò major eſt, tantò majus eſſe ſolet rei pretium, in defectu pari. In uſu autem ſpectanda eſt neceſſitas, commoditas, jucunditas, dignitas.

Quænam eſt menſura arbitrio hominum conſtituta?

Nummus, qui naturalis menſuræ, ſcilicet indigentiæ, veluti vicarius eſt.

Quotuplex ergò eſt nummi in permutationibus uſus?

Duplex. Primus, ut rerum pretia definiat. Alter, ut in rerum ipſarum, quibus alter contrahentium indiget, locum ſubeat, ne permutatio impediatur, quemadmodum apud veteres ante nummum inventum ſæpe accidit, cùm res tantum rebus permutarentur. Nam ſi ego quidem re tua egeam, nihil vero habeam, quo tu indigeas, ceſſabit permutatio, niſi ego nummum ſubſtituero in locum rei, qua tu indigeas, quem ſi dederis ei, qui eâ re abundat, eam poſſis conſequi. Interea

verò

verò dum id fiat, sponsoris loco est nummus, qui tibi certum faciat fore, ut id consequaris, quo tibi sit opus. *Hactenus de officio Iustitiæ Commutativæ.*

Quodnam est officium Iustitiæ Correctivæ?

Inæqualitatem, quæ ex injuria inter lædentem & læsum orta fuerit, ad æqualitatem, quæ ante injuriam fuerat, quoad ejus fieri potest, revocare.

Quænam est Inæqualitas illæ ex injuria orta?

Quod is, qui fecit injuriam, plus, qui passus est, minus habere censetur, cùm à Iudice æstimatur, istud quidem lucrum, hoc verò damnum appellatur.

Quomodo verò Iudex hanc inæqualitatem emendat?

Dum ei, qui fecit injuriam, lucrum detrahit, & ei, qui passus est, reddit: quod fit vel restitutione rei ablatæ, ut *in furto, aut bonis vi raptis, aut in famæ violatione: nam qui calumnia famam læsit alterius, veri professione resarcire jubetur id, quod de dignitate ipsius detraxerat.* Vel fit alio quodam compensationis aut satisfactionis genere, atq; adeo etiam interdum corporali pæna sonti inflicta, qua partis læsæ honor ac jus sanciatur, ejusq; securitati consulatur. Sic *qui vulneravit, cogitur solvere impendia in curationem facta, & operarum intertrimentum: cædes cæde sæpe vindicatur, aut etiam mulcta cognatis,*

part.spec. *gnatis, ad quos injuria pertinet, solvitur; nonnunquam carcer additur.*

An judex personarum ipsarum conditionem spectare debet?

Non, nisi eatenus, quatenus personarum conditio vel injuriæ, vel pœnæ gravitatem augere aut minuere potest, quod inprimis tum fit, cùm honoris, aut ignominiæ & contumeliæ habetur ratio. Verbi gratiâ, *gravius est delictum, si quis magistratum percutiat, quam si privatum: gravius si parentem, quàm si alienum: & in multis aliis.* Sic, *gravior est pœna, si is, qui in summa dignitate fuit constitutus, virgis cædatur publicè & infamiâ notetur, quàm si alius quispiam obscurus admodum & ignobilis:* gravior, inquã, est, quod ad ignominiæ rationem attinet. cæteroquin judex personas ipsas, inter quas versatur injuria, tanquam æquales sumit, & ipsius tantum lucri aut damni differentiam, ad quam nonnunquam personarum conditio aliquid facit, intuetur, eamq; ad æqualitatem pristinam reducere conatur.

Quid est Injustitia his opposita?

Est ea, quæ in contractibus ab hac æqualitate recedit. In voluntariis quidem, cum pretium iniquum est, & vel majus vel minus merce: vel etiam cum alter & mercem capit, & pretium retinet, alter nihil. In involuntariis autem, cum compensatio injuriæ vel major, vel

vel minor à judice constituitur, vel ei non redditur, cui debetur. part.spec.

CAPUT VII.
De Beneficentia & Liberalitate.

Quid est Beneficentia?

EST virtus aliena commoda jure civili non cogente curans.

Quot sunt illius officia?

Duo: Dare beneficium, & Reddere: prius tamen Beneficentiæ magis censetur proprium: posterius Gratitudinis, quæ ex Beneficentia & Æquitate veluti conflata est.

Quænam in dando beneficio sunt consideranda?

1. Quem in finem des. 2. cui des. 3. quid, & quantum des. 4. quomodo des. 5. quomodo dato beneficio te gerere debeas.

Quis beneficiorum debet esse finis?

Finis, quem Ethica proponit, est honestum ipsum & rectæ conscientiæ gaudium: quibus Theologus addit Dei gloriam, animæ salutem, & aliorum divinorum munerum impetrationem. Itaq; gloriolæ & lucelli cupiditas à beneficentia est arcenda.

Quænam in illis sunt spectanda, quibus dandum est beneficium?

Eorum Indigentia, Mores, & Conjunctio, quæ nobis cum illis intercedit.

Quid & quantum dare debes?

Hoc partim ex iis, quæ modo diximus, hoc eſt, Indigentia ejus, cui dandum eſt, Moribus, & Conjunctione; tum ex noſtris facultatibus ac viribus æſtimandum eſt. Itaq; primùm curandum, ut ea habeat alter, quæ ſunt neceſſaria & quorum abſentia cruciat: tum ea, quæ ad commoditatem & jucunditatem quandam vitæ pertinent. Quo loco cavendum, ne roganti & urgenti id demus, quod ipſi foret noxium, ut *irato ferrum, febricitanti aquam frigidam, aut vinum.* Deinde plus dandum eſt egentiori, meliori, conjunctiori: quâ in re prudentia eſt opus, cum iſta videantur inter ſe certare; ut cùm is, qui minus indiget, eſt melior, aut is, qui melior, minus conjunctus. Nam pro circumſtantiarum diverſitate & cauſarum, quæ ad beneficentiam impellunt, ratione, nunc huic potius ſuccurrendum eſt, aut plus dandum, nunc illi. Deniq; quod ad vires atq; facultates ejus, qui dat beneficium, attinet, plus præſtare debet, qui plus poteſt; plus dare poteſt dives, quam pauper cæteris paribus: qua de re infrà non nihil, cum de liberalitate ſpeciatim agemus, dicetur.

Quo verò modo dare debes beneficium?

Vt alacriter des, atq; ita prorſus, ut velles accipere. Quo pertinet *Primò*, ne expectes, dum rogeris; ſed ipſe neceſſitatem alterius

inquiras,

inquiras, & ubi desiderari opem tuam vides, eidem succuras. *Deinde*, si contingat, te rogari, plura rogantis verba intercidas, ne videaris velle rogari; sed certior factus statim promittas, facturumq; te, antequam interpellareris, ipsa festinatione approbes. *Tertiò*, promissum ne differas, donec denuò rogeris. nihil æquè amarum, quam diu pendere, nihil fere molestius, quam id rogare, quod impetraveras. *Quartò*, ut vultu hilari, non severo, non superbo, nec sermone aspero beneficii gratiam corrumpas, nec quicquam ei triste misceas: etiam si quid erit, de quo monere velis, aliud tempus eligas, nisi res ipsa id prorsus postulet. *Deniq;* ut clam potius des beneficium, quam apertè, præsertim cum alterius infirmitati, egestati, ignominiæ succurris, in quibus nonnunquam etiam is ipse, in quem confertur beneficium, fallendus est, & ejus pudori consulendum. Apertè autem dari possunt ea beneficia, quæ accipientibus sunt honorifica.

Quænam dato jam beneficio sunt consideranda?

I. Ne patiaris tibi gratias agi, præsertim prolixè, imò minus te præstitisse, quam alter fuerat meritus, asseras, aut etiam eundem laudes, quod tuo beneficio uti voluerit. 2. Vt, quantum in te est, obliviscaris dati beneficii. 3. Ne id etiam libenter commemores,

nec facile cuiquam exprobres, nisi forte ingrato, aut ei, cui commemorationem beneficiorum ad emendationem ac virtutem profuturam arbitreris. 4. Ne compensationem exigas, nisi necessitas prorsus postulet. 5. Non tam doleas, si indigno forte dedisti, quam si digno non dedisti.

Quot sunt Gratitudinis, quam vocant, officia?

Tria: Gratiam habere: Gratiam agere: & Gratiam referre: Primum animo perficitur: Secundum verbis: Tertium re ipsâ.

Quid in singulis officiis observandum est.

I. Vt habeas gratiam, necesse est, ut memor sis beneficii, & referre cupias.

II. In gratiis agendis cavendum est, ne aut vilipendere videaris beneficium, aut nimis extollendo in adulationis suspicionem incidas: istud in magnis potissimum beneficiis; hoc in parvis est vitandum.

III. In reddendis beneficiis danda est opera, ut majori etiam mensurâ, si possis, majorique alacritate reddas, præsertim cum magis necessarium sit reddendi, quam dandi beneficii officium. Qui enim reddit, accepto beneficio ad reddendum obligatus est: qui prior dat, non obstrictus est: Itaq; illud iustitia propemodum exigit: hoc liberalis voluntas. Deinde delectus in beneficiis acceptis habendus est, & ei plus reddendum, qui aut plus aut libentius dedit: non enim tantum

munus ipsum, sed animus dantis præcipuè spectandus est. Nonnunquam tamen magis egenti plus dandum est, ac promptiùs subveniendum.

Quid Gratitudini opponitur?

Ingratitudo, quæ in eo, quod parum est, peccat, & vel gratias non agit bene merito, vel gratiam non habet, vel non refert, cum possit, vel ægrè ac multo cum murmure, vel longè minori mensurâ reddit: quod vitium meritò omnibus est invisum, & singularis cujusdam improbitatis censetur indicium. Vnde illud vetus: *Omnia mala dixeris, ingratum si dixeris*. Alterum extremum, quod in excessu peccat, quia in mundo locum vix invenit, ideò nec nomen. Subjici autem potest Profusioni, de qua postea. *Hactenus generalia Beneficentiæ officia vidimus.*

Quotuplex est Beneficentia?

Duplex: Nam vel operâ benefit alteri, vel pecunia. *Operæ* nomine non tantum labores, sed & consilium, & quamcunq; actionem, quæ alteri prosit, præter pecuniæ dationem, complectimur. *Pecuniæ* vero nomine intelligimus tum nummum, tum res omnes nummo æstimatas, quæ dari aut donari cuipiam possint: donari autem possunt eæ, quæ ante donationem sunt, & post eam manent. Prior Beneficentia speciale nomen adepta non

est, solâ generis appellatione contenta. Posterior *Liberalitas* propriè dicitur, cum in sumtibus usitatis ac mediocribus cernitur; licet hoc etiam nomen ad universum benignitatis genus nonnunquam transferatur.

Quænam sunt prioris Beneficentiæ præcepta?

Præter generalia superius tradita I. observandum, ne forte dum prodes aliis, aliis noceas, & contra æquitatem aliquid facias.

II. Vt temeritatem vites, &, quantum ejus fieri potest, caveas, ne dum gratificaris aliis, grave aliorum odium ac periculum tibi accersas, quod tum ferè accidit, cum operam nostram alicujus præstamus adversario. Interdum tamen etiam capitis periculum est adeundum pro altero: quod quando sit necesse, in doctrinâ de fortitudine diximus.

III. Oppressos à potentioribus, si possis, iuvare honestum ducas.

IV. Quod sine tuo detrimento præstare potes omnibus, nemini negandum est: ut consilium fidele, quod accipienti est utile, danti non molestum, præsertim si res deliberatione diuturna non indigeat. Huc pertinet illud Ennii, quod est apud Ciceronem:

Homo, qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de lumine accendat, facit
Vt nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Quod enim in una re dictum est ab Ennio, id trans-

id transferri debet ad omnes, quæ ei ſunt ſi- part.ſpec.
miles, qualis eſt admonitio ad virtutem, inſtitutio in divina veritate, quam qui docet alterum, lumen ei de lumine accendit ſuo, ita tamen, ut nihilominus ipſi luceat.

V. Cum alia omnibus proſint, alia multis, alia paucis aut uni, præferenda ſunt ea, quæ omnibus aut multis proſunt: niſi forte in re ipſâ magna ſit differentia. *Honeſtius eſt,* verbi gratiâ, *civitatem integram ſervare, quam privatum aliquem. Satius tamen eſt, virum bonum ſervare, quam civitatem exiguo aliquo bono aut commomodo augere.*

Quotuplex eſt Liberalitatis officium?

Duplex: Primarium & Secundarium. Primarium eſt datio ſeu largitio pecuniæ. Secundarium iterum duplex eſt: acceptio pecuniæ, & ejusdem cuſtodia. Acceptio quidem, quia niſi accipias, dare non potes, & niſi honeſtè accipias, honeſte dare non potes. Cuſtodia etiam pertinet; quia cum liberalitas in mediocritate ſit poſita, non ſemper, nec omnibus, nec omnia dare debes, ſed interdum etiam ſervare & cuſtodire in uſus meliores ac magis neceſſarios. Nos de acceptione & cuſtodia, quæ dationem antecedunt, priori loco agemus.

Quid in accipienda pecunia eſt obſervandum?

I. Ne forte, ut aliis des, ſumas, unde aut qua

ratione non oportet, hoc eſt, ne aliena vel vi, vel fraude ad te pertrahas; vel illiberalem ac ſordidum quæſtum facias, qualis eſt *lenonum, cauponum, agyrtarum, circulatorum, ac fæneratorum*, de quibus infra; ſed ſumas ex tuis bonis ſive prædiis, ſive hæreditate aut donatione aliquâ ad te tranſlatis, ſive honeſto labore partis.

II. Vt in accipiendo avaritiæ tum crimen, tum ſuſpicionem vites. Quo pertinet 1. ne unquam quærendæ pecuniæ ita incumbas, ut ea cura animum à cæleſtibus ad terrena avocet, à pietatis ac religionis exercitatione diſtineat, aut etiam ut plus, quàm tibi ſit opus, aſſervare ac cuſtodire velis, qua de re paulo poſt dicem⁹ explicatiùs. 2. huc pertinet, ne in exigendis debitis ſive à ſubditis tuis, ſive ab alienis ſis acerbus ac rigidus, ſed facilis ac benignus, qui de jure tuo, præſertim ſi egeſtatem debitoris cernas, libenter concedas, lites etiam forenſes tuorum repetendorum cauſa, quantum licet, fugias. Deniq; ne ſis petax, nec à quovis beneficium libenter accipias: utrumq; enim ſordidum eſt ac putidum.

Quid in Cuſtodia pecuniæ eſt obſervandum?

I. Cura eſt adhibenda aliqua, ne fons Liberalitatis exhauriatur, & ne tandem tibi ipſi, aut tuis, quos deſerere nefas eſt, deſis.

II. Mo-

II. Modus eſt adhibendus, ne in avaritiam incidas.

Quis eſt modus in cuſtodienda pecunia obſervandus?

Tria ſunt obſervanda, ut modum adhibeas: 1. Ne animum pecuniæ adjicias & ejus amore à religione ac divinarum rerum curâ patiaris avocari, neve opibus confidas, ac in illis potius, quam in Deo ſpem reponas. 2. Vt finem reſpicias, cujus gratia pecuniam ſive quæris, ſive aſſeruas. De tertio, quod ad modum cuſtodiendæ pecuniæ pertineat, dicemus poſtea.

Quis eſt finis pecuniæ quærendæ aut aßervandæ?

Is duplex eſt: alter ad nos reſpicit; alter ad alios. Noſtri autem nomine non modo noſtras ipſorum perſonas intelligimus, verum etiam totam familiam, cujus alendæ & ſuſtentandæ cura nobis incumbit.

Quis eſt finis pecuniæ, qui ad nos reſpicit?

Vt habeamus ea, quæ ad vitam ac valetudinem conſervandam ſunt neceſſaria: tum ea, quæ ad illas actiones obeundas requiruntur, ob quas vita nobis data eſt: denique ut habeamus, quæ ad vitæ commoditatem, ac civilem quandam honeſtatem ſpectant, ut tum moleſtias, tum contemtum, quantum licet, evitemus. Itaque primùm victu, cultuq; corporis & habitatione, quâ nos noſtraq; ab injuriis tum aëris, tum hominum

improborum defendamus, est opus: cùm iis vitæ ac valetudinis conservatio omnino indiget. 2. Opus est instrumentis ad illud vitæ genus, quod colimus, quod ipsum debet esse honestum ac generi humano utile, exercendum, atque ad vitæ subsidia paranda, necessariis. Sic, *Viro docto libris, agricolæ instrumentis rusticis, medico aliis est opus*, & sic in cæteris. 3. Ad commoditatem ac civilem honestatem aliquid, præter ea, quæ ad vitam ac valetudinem tuendam omnino sunt necessaria, requiritur. Requiruntur autem ea, quæ ad quandam vitæ jucunditatem, itemq; ea, quæ ad gravitatem dignitatemq; spectant, quorum absentia non conficit quidem omnino, sed affligit ac dejicit, aut contumeliis obnoxios reddit. Quæcunq; ad hunc finem pertinent, illa honestis rationibus quærere & custodire licet, observatis iis, quæ paulò ante diximus, & mox dicturi sumus.

Quis est finis pecuniæ ad alios spectans?

Vt aliis prosimus, & eorum usibus serviamus, qui finis beneficentiæ ac liberalitatis est proprius, & qui hanc ob causam pecuniam custodit, nihil peccat, modò adhibeat prudentiam, quæ largitionem futuram præsentem eamq; necessariam omittat, aut ne id, quod aliorum causâ se putat custodire, pecuniæ amore captus sibi tandem servet.

Quodnam

Quodnam est tertium ad modum pecuniæ custodiendæ pertinens?

Ne pecuniam tuis usibus quæsitam in tempus longum ac diuturnum asserves, & eum terminum tibi præfigas, ad quem te perventurum meritò dubitari queat, aut ad casum valde malum nummos colligas; præsertim si videas, ea tibi adesse subsidia, ut interea, dum tempus illud adveniat, denuo parare possis ea, quæ tibi tunc futura sint necessaria: sed asserves pecuniam in tempus mox sequuturum, quod propemodum iam instare dici queat, & ad quod usque te victurum valde sit credibile, maximè si non perinde certum sit, te, si res partas è manibus dimiseris, interea ea recuperaturum, quæ tum sint futura necessaria. *Hæc inprimis sunt observandæ in subsidiis pro senectute, morbis, sustentatione uxoris, aut liberorum post mortem parandis; in dote filiarum, patrimonio cæterorum liberorum quærendo ac relinquendo.*

Quid est in danda pecunia observandum?

Id ex generalibus beneficentiæ præceptis, juncto eo, quod de pecuniæ custodiendæ modo paulo ante diximus, patet. Hoc inter alia cavendum est, ne ob largitionem inconsideratam fiat, ut iis, quibus maximè obstrictus es, sufficere nequeas, *ut uxori, parentibus, liberis, aut etiam creditoribus, quibus nō solvere debita*

bita injustum est; ac tandem ne tibi ipsi desis. In quo postremo tamen observandum est, si contingat, ut vel ei, quem deserere honestas vetat, carendum sit rebus ad vitam conservandam necessariis, vel tibi iis, quæ ad commoditatem ac civilem quandam honestatem spectant, satius esse, ut tu his careas, quam ille istis: imò si vel tibi, vel ei, pro quo vitam ponere honestum est, carendum sit rebus omninò ad vitam necessariis, satius est, te destitui, quam illum: hâc enim ratione vitam pro illo revera pones. Cavendum & illud est, ne forte pecuniam, quam aliàs extrudere ob vitium aliquot illius non poteras, in liberalitatem convertas: qua tamen in re non semel peccatur.

Annon huc etiam pertinet Hospitalitas?

Pertinet: Est enim Liberalitas, quæ in honestis exulibus, aliisq; peregrinis & pauperibus lare mensaq; excipiendis cernitur.

Quænam sunt vitia Beneficentiæ opposita?

Vitia, quæ beneficentiæ generatim sumtæ exactè opponuntur, suis nominibus fere carent: quemadmodum & ea, quæ opponuntur ei Beneficentiæ speciei, quæ operâ succurrit alteri.

Quodnam tamen est vitium istud, quod in excessu adversus Beneficentiam generatim peccat?

Temeritas in aliis iuvandis: quæ admittitur,

cùm quis

cùm quis alterius juvandi cauſa vel id aggreditur, quod perficere nullo poteſt pacto; vel ſine juſta cauſa in diſcrimen, aut damnum ſe ſuosq; conjicit, aliosve offendit; vel deniq; alienis ſe ingerit negotiis tum, cum ejus opera nequaquam deſideratur, nec grata futura eſt iis, quos juvare cupit; quæ vitii hujus pars πολυπραγμοσύνη dicitur. part. ſpec.

Quodnam eſt id, quod in defectu peccat?

Improbitas illa, quæ vel tum, cum poſſit, alteri non ſuccurrit; vel ei etiam nocere ſtudet, nocetvé; vel deniq; malis ejus delectatur, bonis triſtatur. Prima hujus vitii ſpecies *Immiſericordia* dici poteſt, altera *Malevolentia*, tertia *Invidia*; quanquam hæc affectuum potiùs ſunt nomina, quàm habituum cum improbitate tamen junctorum. Et hæc, quæ de vitiis Beneficentiæ generatim ſumtæ oppoſitis diximus, ſufficere poſſunt ad ea quoq; intelligenda, quæ beneficentiæ illi, quæ fit opera, opponuntur.

Quænam ſunt vitia Liberalitati ſtrictè ſumtæ oppoſita?

Avaritia, cujus ſpecies eſt *Inhoſpitalitas*; & *Profuſio*.

Quid eſt Avaritia?

Eſt vitium, quod in quærenda & cuſtodienda pecunia modum ſuperat, in danda deficit.

An ne-

An neceße est quemvis avarum & in quærenda & in custodienda pecunia simul peccare?

Non: sed alterutrum ad constituendam avaritiam sufficit; maximè posterius.

An in defectu magis peccat avaritia, an verò in excessu?

In defectu magis: quia in datione, quæ magis propria est liberalitatis actio, deficit.

Annon Fœneratores avaris sunt accensendi?

Sunt: Nam in quærenda accipiendavé pecunia modum superant.

Quosnam vero Fœneratores hic appellas?

Qui usuram extorquent, hoc est, fructum de pecuniis creditis cum oppressione seu damno aliorum.

Quorumnam hic damnum & oppressio spectanda est?

Primò ipsius debitoris, deinde etiam aliorum. Debitoris quidem ipsius, cum ex pecunia sibi credita non potest tantum capere commodi, ut persolutâ creditori usurâ ullum capere possit fructum industriâ suâ dignum, etiamsi diligentiam adhibeat, quantam potest ac debet maximam, quin etiam tum, cum res non meliores, sed necessarias tantum quærit, adeò ut ei creditor donare potius aliquid, quam fœnus ab eo debeat extorquere. Alterum vero damnum & oppressio tum cernitur, cum debitor, ut, tum detrimentum

mentum ipſe non patiatur, ſed juſtum capiat laboris ſui præmium, tum fœnus creditori perſolvat, cogitur quodammodo in alios esſe iniquus, & merces v. g. majoris vendere, quàm vendendæ fuerant, unde rerum pretia augentur, & in publicum bonum peccatur.

Quinam avaritiæ maximè ſunt obnoxii?

Senes, tum ob imbecillitatem, cui ſubſidia quærunt: tum ob uſum, qui docuit, quam gravis ſit egeſtas, quam neceſſarius nummus, quam difficulter paretur, quam facilè amittatur.

Quid eſt Profuſio?

Vitium in danda pecunia modum ſuperans.

Vtrum vitium eſt deterius, avaritia an profuſio?

Avaritia: 1. quia inſanabilior; nam cum ætate creſcit, ipſo remedio exaſperatur, naturæ noſtræ, quæ in commoda ſua valde propendet, eſt amicior: Profuſionem, adoleſcentium fere vitium, ætas & egeſtas coercet. 2. à liberalitate abeſt longius quam profuſio: hæc enim libenter largitur, id quod in liberalitate eſt primũ. 3. prodigus aliis prodeſt; avarus ne ſibi quidem. 4. avari ignobilioris ſunt animi; generoſioris prodigi.

CAPVT VIII.
De Magnificentia.

Quid est Magnificentia?

VIrtus in magnis sumptibus occupata.

Quotuplices sunt sumptus illi magni?

Duplices: alii sunt in res sacras, alii in humanas, seu mavis profanas. Isti sunt, quicunque ad religionis promotionem spectant: ut, *qui impenduntur in eos, qui Theologiam docent, aut discunt, in libros ædesq; sacras, & si quæ sunt similia.* In res humanas fiunt sumptus vel publicè, vel privatim. Publicè, qui ad Reipub. commodum aut ornamentum pertinent, idq vel pacis, vel belli tempore: ut, *in scholas, nosodochia, Xenodochia, gerontodochia, curias, muros, aquæductus.* &c. *Itemq; virorum de Repub. benemeritorum præmia.* Privatim qui fiunt sumtus, vel ad alios magis respiciunt, vel ad nos ipsos: ad alios, cùm hospites vel multos, vel magnos excipimus, & hospitalibus muneribus ornatos dimittimus: ad nos, qui ad cultum corporis & apparatum domesticum pertinent. In utroque genere iterum alii sunt rari & insoliti, in quibus magis conatur excellere magnificus, ut *in nuptiis,* aut *funeribus:* alii frequentiores.

Quomodo in his sumptibus se gerit Magnificus?

I. Necessaria primùm parat Magnificus, tum demùm utilia. Necessariis autem illa etiam annumeranda sunt, quæ consvetudo publica cum honestate non pugnans ita firmavit,

mavit, ut sine dedecore omitti non possint.

II. Divina præfert humanis, privatis publica, diuturnum ac perpetuum fructum habentia iis, quæ fugacia: nisi fortè temporum ratio aliud exigat.

III. Privatim dignitatem servat vitæ conditioni ac ordini convenientem, ita tamen ne magis necessaria virtutum officia, nempe ea, quæ ad justitiam, aut liberalitatem pertinent, omittantur.

IV. Invidiam, quæ Magnificentiæ comes esse potest, modestia & obvia humanitate declinat.

V. Opum suarum diligentem habet rationem, quod illi cum liberalitate commune est, à qua virtute Magnificentia gradu potiùs, quàm specie distincta videtur.

Quosnam hæc virtus maximè decet?

Nobiles, potentes, ac claros viros, & quibus relicta potiùs res est, quàm labore parta.

Quæ sunt vitia Magnificentiæ opposita?

Ea nominibus propriis apud Latinos ferè carent. Alterum eorum *Insolentia in sumptibus* dici potest; alterum *Sordes*.

Quid est Insolentia in sumptibus?

Vitium in magnis impensis modum superans. Admittitur tùm, cùm vel sumptus magni fiunt, ubi planè non est opus; vel majores, quàm opus esset, aut ne-

glectis magis necessariis, minùs necessarii fiunt, vel ostentationis tantùm causâ pecunia profunditur.

Quid Sordes appellas?

Vitium modum deserens tùm, cùm magni sumptus sunt faciendi.

CAPUT IX.

De Veritate, seu Veritatis studio, *ubi etiam* De Taciturnitate.

Quid est Veritatis studium?

VIRTUS, quæ dictorum cum rebus, consensum prudenter observat.

Hæc Virtus, quatenus ad promissa juramentaq; refertur, *Fidem* in se complectitur; quatenus in sermonibus nostris sive bonis, sive malis versarur, *Sinceritatem* & *Candorem*.

Quænam illius sunt officia?

I. Danda est opera, ut, quantum ejus licet, sermones nostri rebus semper consentiant, maximè in rebus ad religionem pertinentibus, in juramentis, in promissis, atque adeò in omnibus, ubi mendacium nostrum nocere alteri posset, qua in re fidem, quam dictorum factorumq; constantiam definiunt, & justitiæ fundamentum esse rectè asserunt, cerni diximus.

II. Si

II. Si civili mendacio periculum ab altero avertere, aut insigni eum commodo augere possis, eo uti convenit, observatis iis, quæ in primo præcepto diximus, nempe ut nec præter necessitatem, nec in rebus ad religionem pertinentibus, nec in juramentis mendacium versetur, nec cum aliorum injuria sit conjunctum. Sic, *Obstetrices olim jussæ infantes Israëliticos enecare, Pharaonem mendacio eluserunt, cujus facti præmium à Deo retulerunt.* Cùm de nobis solis agitur, parciùs hujusmodi mendaciis est utendum, quàm cùm de aliis: nam quod aliorum utilitati datur, facilius nos excusat, quàm quod nostræ.

III. Si quis fortè juraverit, aut sine jurejurando promiserit id se facturum, quod cum honestate revera pugnat, juramentum aut promissum damnandum ac deplorandum est: non autem, ut verus esse videatur, denuò peccandum. Cedit enim veritas dictorum factorumq; honestati, quando inter utramque lis est.

IV. Cùm de bonis nostris sermo est, licet nonnulla reticere ac dissimulare, aut verbis modestè elevare, ita tamen, ne ipsa dissimulatione alienas de te laudes provocare velle videaris, præsertim si res, quam dissimulas, nimis sit manifesta. Semetipsum tum demum laudare licet, idq; cum significatione

 modestiæ,

modestiæ, cùm adversariorum calumniæ & obtrectationes nos eò impellunt, quo tempore etiam ostendendum est, nos invitos ad laudes nostras commemorandas adigi: licet etiam tum dona sua enumerare, cùm eorum commemoratio non tàm ad nostram laudem, quàm ad eorum pertinet gloriam, qui illorum in nobis fuerunt auctores: tandem & senioribus nonnunquam licet, ut juniores suo exemplo ad virtutem hortentur, suos labores præclaraq; facta enumerare. Alias laudes suas, licet verissimas, prædicare putidissimum & odiosissimum est.

V. Delicta erroresq; nostros aliavé mala fateri tum est necesse, cùm eorum dissimulatio aut negatio posset nos vel mendaces, fraudulentos, impudentes; vel saltem pertinaces, contentiosos, ambitiosos arguere vel alios etiam corrumpere & non leviter offendere: quod tùm inprimis fit, cùm quis res manifestas ab aliis convictus fateri non vult. Atque in his rebus inprimis *Candor, Sinceritas, Simplicitas* spectatur, quemadmodum etiam in bonis nostris modestè agnoscendis aut profitendis.

Quænam sunt vitia virtuti huic opposita?

Mentiendi libido, sub qua *Perfidia* continetur, quæ Fidei adversatur, & *nimia in dicendo Simplicitas*, sive *Sinceritas*, quæ imprudentiam potiùs

potiùs, quàm improbitatem arguit: iſtud vitium in defectu peccat, hoc in exceſſu. Candori ſpeciatim quæ opponantur, poſtea dicemus.

Quid eſt Mentiendi libido?

Eſt vitium ejuſmodi, quo quis vel in aliorum fraudem ac detrimentum, contra animi ſui ſententiam loqui, vel ex levitate quadam ſciens prudens mendacia ſua aliis obtrudere amat, etiamſi nihil ad illos mali, ad ſe nihil boni redundet. Qui hoc vitio laborat, is demum mendax jure dicitur.

Idemné eſt Mendacium dicere & Mentiri?

Non: *Mendacium dicere* cenſetur, qui falſum dicit imprudens: *Mentiri* autem is demum, qui ſciens prudens falſum aliis obtrudit, præſertim ſi id ad illorum fraudem aut ludibrium pertineat.

Quid eſt Perfidia?

Mentiendi libido in juramentis & quibusvis promiſſis. Ejus actus dicitur *Dolus malus*, ſub quo continetur *Perjurium*.

Quid eſt Dolus malus?

Cum aliud dictum, aliud cogitatum, aut actum eſt in alterius damnum.

Quid eſt Perjurium?

Dolus malus in juramento, hoc eſt, in affirmatione religioſa. Ita enim juramentum definitur à Cicerone. quanquam etiam paulò latiùs

part.spec. satiùs Perjurium extendi potest, ut omne mendacium in juramento, licet ad detrimentum alterius minimè pertineat, & ab imprudente etiam fuerit profectum, complectatur.

Quot modis committitur Perjurium?

Cum res præteritæ aut præsentes juramento confirmantur, uno tantum modo committitur, nempe cùm falsum asseritur: at cum de futuris agitur, duobus cōtingere potest modis. Vnus est, cùm is, qui jurat, id facere tum non cogitat, ad quod jurejurando se adstringit: alter cum is, licet tum, cum juraret, in animo haberet id facere, postea tamen id non præstat, culpâ aliquâ suâ interveniente.

An ambiguitate verborum uti licet in juramentis ad fallendum eum, qui juramentum exigit?

Haudquaquam; sed sincere ac candidè agendum est tum, cum Deus testis ac vindex fraudis advocatur. Itaq; perjurii crimen non effugies, etiamsi id, quod jurasti, eo sensu præstiteris, quem tibi ipsi reservaras, neglecto eo, in quem aut nolebas, aut probè noras, juramenti verba accipere eum, cui jurabas. Nam cùm juramentum in illius utilitatem primò sit comparatum, cui juratur, ut habeat, cui tuto innitatur, non verò in utilitatem jurantis, nisi per accidens, eo sensu accipienda

cipienda sunt juramenti verba, in quem illum accipere constat, non hunc.

Quid vocas nimiam in dicendo Simplicitatem seu Sinceritatem?

Vitium eorum, qui cum damno aut periculo, sive suo, sive alieno quicquid verum esse putant, eloquuntur, præsertim interrogati, licet rem dissimulare, vel honestè negare possent. Vt, *si quis latentem alicubi hominem, eumq́; fortasse planè innoxium, à persequente hoste interrogatus prodat, & in discrimen vitæ adducat, quem tamen ibi latere honestissimè negaret:* Sic, *si quis delictum alterius, quod tegere juberet charitas, vel etiam suum aut suorum domesticorum, quod honestius occuleret, nulla necessitate compulsus evulget.*

Quæ vitia Candori speciatim opponuntur?

Arrogantia seu *Iactantia*, & *Dissimulandi studium*, quod Græcis *Ironia* dicitur.

Quid est Arrogantia?

Est vitium in bonis nostris prædicandis modum excedens. Committitur tum, cum quis ea, quæ laude digna esse putat, sibi tribuit, quæ vel plane in ipso non sunt, vel minora, quam verbis jactat, vel deniq; cum intempestivè ea, quæ revera habet, commemorat, & de illis gloriatur. Quod vitium nunc superbiæ fructus est, nunc avaritiæ, ut in iis, qui, ut quæstum faciant, multa de se falso ja-

ctant, ut *Sophistæ agyrtæ, & alii ejus farinæ homines.*

Quid est Dissimulandi studium seu Ironia?

Vitiũ eorũ, qui bona, quæ habent, vel prorsus se habere negant, vel nimis extenuant.

Vitium hoc nonnunquam ex ambitione nascitur eiq; subservit: nam qui nimis affectatè sua extenuant, eo ipso majora sibi inesse bona credi volunt, & aliis occasionem laudandi sese præbent.

Quid est Taciturnitas?

Virtus modum in oratione servans; seu, Virtus in lingva frænanda occupata.

Quæ sunt illius præcepta?

I. Vt secreta tum tua, tum aliena studiosè celes, idq; etiam tum, cum vix quicquam videtur esse periculi. Hæc res ad consilia per quam est necessaria. Vnde Taciturnitas prudentiæ nervus dicitur.

II. Vt non nisi utilia loquaris, quæ jucunditate ita temperanda sunt, ut ab honestate tamen nihil deflectas.

III. Vt tempestiva loquaris, hoc est, ea, quæ personis, loco, tempori sint accommodata.

IV. Brevitati orationis, quantum res quidem & auditorum fert ingenium desideriumvé, studeas.

Quæ sunt vitia Taciturnitati opposita?

Garrulitas & *Morositas*, seu *nimia sermonũ parcitas.*

Quid

Quid est Garrulitas?

Vitium in dicendo modum excedens.

Quod admittitur, cum quis secreta effutit, inutilia, intempestiva loquitur, aut deniq; verbosior est, quam res & auditorum fert voluntas.

Quid est nimia sermonis parcitas?

Vitium in dicendo modum deserens.

Quod fit, cum quis ne tempestiva quidem, aliisvé utilia vult loqui, aut, cum res vel auditorum ingenium prolixiorem orationem postularet, verborum nimis est parcus. Deterius autem Garrulitatis est vitium, quia frequentius ac magis noxium.

CAPUT X.

De Humanitate seu Comitate, quam Aristoteles Amicitiam appellat.

Quid est Humanitas?

Virtus in civili conversatione ad seriam aliorum voluptatem sermones factaq; externa accommodans: seu, Virtus, quæ in sermonibus factisq; externis utiliter aliis placere studet.

Quot sunt ejus officia?

I. Id agit Humanus, ut quantum honestas, & vera aliorum utilitas patitur, nemini sit molestus, sed omnibus jucundus.

II. Aliorum rectè facta, ubi commodum videt,

videt, libenter laudat. Commodum autem tum in primis eſt, cum vel ei, qui laudatur ad ſimilia majoravé conanda, vel aliis ad æmulandum prodeſſe poteſt approbatio. Intempeſtivas laudes, aut aſſentationis ſpecimen præbentes vitat.

III. Si quæ in aliis reprehenſione digna videt, ita vituperare ſtudet, ut reprehenſionis aſperitatem dexteritate quadam, & verborum lenitate, quantam res ipſa, & ejus, qui objurgandus eſt, patitur utilitas, emolliat. Quod ſi mali gravitas acriorem medicinam poſtulat, futuram potius eorum, quos monet, utilitatem, honeſtamq; jucunditatem, quam præſentem voluptatem quærendam ſtatuit.

IV. Ad emolliendam reprehenſionis duritiem, dat operam, ut alter ſentiat, ſeſe ab ipſo amari, & reprehenſionem ab animo ſibi optimè cupiente proficiſci, eum reprehenſione ac criminatione non delectari, ſed invitum eò adigi, & vicem ſuam dolere: contemtus ſuſpicionem diligenter vitat: à conviitiis abſtinet, nec delictum nimis exaggerat: alterum ex imprudentia potius, quàm ſtudio peccaſſe mavult credere & dicere, niſi forte res ipſa contrarium loquatur, & emendationis ratio aliud poſtulet: communicatione criminis libenter utitur, & ſibi quodam-

quodammodo verbis tribuit, quod in altero reprehendit: nonnunquam non directè, sed veluti aliud agens amici vitium tangit, aut veluti joco rem maximè seriam agit.

V. Decorum ubiq; observat, &, quid cuiq; personæ conveniat, diligenter expendit; aliter cum patre, aliter cum filio, aliter cum fratre, aliter cum notis, aliter cum ignotis agit.

VI. In monendo temporis opportunitatem captat, nec tum quemquam facile reprehendit, cùm animus ejus alias ob causas turbatus est ita, ut vix videatur reprehensionem patienter laturus. Quodsi tamen periculum sit in mora, etiam, cùm non satis est opportunum, monet, ne fortè monitioni postmodum nullus sit locus.

VII. De lana caprina non rixatur, nec pertinaciter sua defendit, sed aliis libenter, ubi honestè licet, cedit: contentiosa voce non utitur: vicissitudinem sermonis in colloquiis servat, nec, quasi in suam possessionem venisset, aliis dicendi licentiam adimit: alienos sermones non interturbat: nec ad primum quodque verbum, quid alter voluerit dicere, divinat, aut responsionem, antequam is sermonem finierit, orditur.

VIII. Mœstos solatur, dubios ac vacillantes erigit, & animum illis inspirat.

IX. Vultu non tristem ac nimis severum, sed

sed serenum potiùs ac permista gravitate blandum, aditúq; non difficilem se præbet: libenter salutat.

Quæ sunt extrema Humanitati opposita?

Ex una parte virtuti huic opponitur *Nimium aliis placendi studium*, sub quo *Adulatio* continetur; quod eorum est vitium, qui emolumenti sui causâ in omnibus placere aliis volunt, & omnia eorum dicta factaq; laudant. Ex altera parte virtuti huic opponitur *Inhumanitas* ac *Morositas*, & *Contentionis studium*, item *Conviciandi*, *Calumniandi* & *Obtrectandi libido*.

Quid est Inhumanitas seu Morositas?

Vitium eorum, qui non curant, ut aliis sint jucundi; sed eorum dicta factaq; libentiùs, aut asperioribus, quàm opus esset, verbis reprehendunt, vultu tristes, aditu difficiles.

Quid Contentionis studium?

Vitium eorum, qui aliis quavis in re libenter contradicunt, de re levi acriùs, iracundiùs, & altiori voce disputant, sua pertinaciter defendunt, nec, licèt victi, de sententia facilè discedunt, aut se victos fatentur.

Quid Convicium?

Crimen quodvis iguominiæ causâ alteri objectum.

Quid Calumnia?

Crimen gravius alicui fallò impactum.

Quid

Quid Obtrectatio?

Sermo clandestinus ad famam alterius minuendam comparatus.

Vtrum extremum huic virtuti oppositum est deterius?

Simpliciter quidem deterius est id, quod in defectu peccat: per accidens autem nonnunquam id deterius est, quod in excessu peccat, nempe Adulatio, ad eorum, qui laudantur, detrimentum ac morum corruptionem comparata, quæ morositate, imò & contentionis studio est deterior.

CAPVT XI.

De Urbanitate.

Quid est Vrbanitas?

ARistoteli virtus est in iocis: nobis Habitus dextrè iocandi: qui quatenus ad risum tantùm excitandum valet, vitiosus est, docentibus sacris literis, quæ non tantùm sermones obscænos, & scurrilitatem, sed & εὐτραπελίαν prohibent: quatenus verò serii quippiam festivitate sermonis ab omni obscænitate sejuncta condit, verbisq́ in speciem jocosis mixtam voluptati utilitatem audientibus affert, raró ac tempestivè adhibetur, Comitatis seu Humanitatis quædam est particula, eaq́ ratione haud videtur reprehendenda.

Quotuplex

Quotuplex Vrbanitatis eſt officium?

Duplex: alterum dicendi, alterum audiendi iocos: ſed iſtud potius eſt.

Quid in dicendis jocis eſt obſervandum?

Id paulò antè dictum eſt: nempe ut impietas & obſcænitas omnis abſit; ut ſeria & utilia jocis ſubſint; ut tempeſtivè ac rarò adhibeantur.

Quid requiritur, ut tempeſtivè adhibeantur?

I. Ne tum uſurpentur, cum de rebus gravibus ſeriò, & intentis animis agitur: inprimis autem cùm de reb⁹ divinis, & ad religionem pertinentibus ſermo eſt, itemq; in calamitatibus, ſive publicis, ſive privatis, ſive noſtris, ſive alienis: niſi forte ad eos, qui lugent, exhilarandos maximè opportuna feſtivius quippiam dicendi ſe offerat occaſio: quod etiam in politicis negotiis, licet gravibus, nonnunquam accidit.

II. Privatim potius, quã publicè, inter paucos potius ac notos, quã inter plures & ignotos utendum eſt jocis: nec in parentes, magiſtratus, aliosq; viros graves ac magnos, quos revereri debemus, dicteria ſunt iacienda.

III. Diligenter cavenda eſt offenſio, & eorum, qui joco petuntur, ſpectandum ingenium: quod ſi irritari facile poſſint, temperandum eſt à ſalibus, qui ipſos mordere aliqua ratione poſſint. Tales autem inprimis ſunt

homines

homines potentes, iracundi, superbi, qui se ab omnibus laudari ac magnifieri postulant.

IV. Personæ, quas præ cæteris gravitas decet, vel ob ætatem, vel ob muneris dignitatem, præ cæteris etiam à jocis abstinere debent. Tales autem sunt ii inprimis, qui res divinas tractant. Nam ioci, nisi valdè sint opportuni ac rari, nisi item aliquid serii aut ingeniosi contineant, de gravitate & auctoritate nonnihil detrahunt.

V. Sine effuso risu & cachinnis proferantur, ut nihilominus decorum & gravitas quædam observetur.

VI. Caveatur, ne verborũ festivitas rem seriam efficiat ludicram. Itaq; alterũ admoniturus de re seria, ioco uti non debes, nisi forte id commodius præstare non possis, ne vel propter id ipsum monita tua spernantur.

Quid in audiendis jocis est observandum?

Ne ea libenter audias, quæ honestè non diceres: obscœna tibi auditu esse iniucunda, nunc vultu, nunc verbis quoq; ostendas: cæteris æquiorem te præbeas.

Quæ sunt vitia Vrbanitati opposita?

Ab Aristotele duo constituuntur: *Scurrilitas*, & *Rusticitas ab omni joco abstinens.* Sed hoc posterius, nisi ad Morositatem accedat, vitium haudquaquam est, & immerito Rusticitas appellatur, cum potius ad divinam & he-

roicam quandam gravitatem pertineat, qualis in Domino Iesu fuit. Scurrilitas verò re ipsa vitium est.

Quid est Scurrilitas?

Vitium in iocis modum superans, estq; eorum hominum, qui posthabita honesti aut decori cura ferè in omnibus, aut in iis, in quibus haud decet, risum captant, nec, modò ridiculi sint, magnopere laborant, ne quem forte salibus suis offendant; quin ne sibi quidem ipsis nonnunquam parcunt.

An differentia quædam est inter Scurriles sermones?

Est: alii enim etiam obscœni sunt, & ad audientium mores corrumpendos sunt comparati, & hi omnium sunt deterrimi: alii vani tantum ac leves: alii salsi ac paulò mordaciores, qui Scommata dicuntur: alii ingeniosi & innoxii, sed frequentiores, quam ut hominem gravem deceant: quanquam vulgo Scurriles haud dici solent.

CAPVT XII.

De Decoro in rebus externis; tum de Decoro, quod ex diversitate naturæ, sexus, ætatis, conditionis oritur?

Quibus rebus absolvitur Decorum istud, quod in externis cernitur?

Gravitate

GRavitate, & Civili morum elegantia.

Quid appellas Gravitatem?

Dignitatem quandam, & costantiã in vultu, motu ac gestu corporis, sermone & vestitu.

Explica hanc dignitatem in singulis?

Vultus virum gravem is decet, qui solet esse hominis seria agentis, ita tamen ne tristis sit aut tetricus. Motus debet esse æqualis, non varius, non concitatus, nisi res moram non ferat, itemq; flexus corporis, omniumq; membrorum virilis, non effæminatus, non histrionicus, ita tardus, ut ignaviam tamen non arguat. Sermo sit sedatus, stabilis, tardior paulò, non volubilis, non acutus, non contentiosus, non jactabundus: quanquam & veritatis ac taciturnitatis studium non parum ad gravitatem in sermone pertinet. Vestitus non varietate colorum aut affectato quodam splendore sit insignis, nec juvenilem levitatem præ se ferat. Viros certè ac senes, & eos, qui divina tractant, niger color, aut ad nigrum paulo propiùs accedens, nisi consuetudo aliud postulet, toga promissior, mundicies frugalior decet.

Quid Gravitati opponitur?

In excessu quidem *affectata* quædam *Severitas* & *Supercilium:* in defectu autem *Levitas*, quam ex contrarii naturâ facilè intelliges.

Annon Choreæ quoq; profanæ ad levitatem pertinent?

Pertinent: unde quo quisq; est gravior, tanto magis ab iis abhorret: *quod in universis etiam populis cernere licet: Nam Græci, quia leviores erant, saltare non indecorum putabant: at Romani, quia graviores erant, saltationem in probris habebant.* Hinc etiam quo quemq; major decet gravitas, tantò magis dedecet saltatio, ut, *senes, & eos, qui res divinas tractant, aut munus in Republica amplum sustinent.* Sed levitate pejor est intemperantia & libido, cui ferè choreæ subserviunt.

Quidnam observandum est iis, qui civili morum elegantiæ student?

I. Sequenda est regionis ac loci cujusq; consuetudo. II. Et exemplum eorum, qui prudentum inprimis judicio elegantioribus censentur moribus. III. Quicquid vitii alicujus speciem præbere, aut suspicionem in aliorum animis excitare potest, id studiosè cavendum est. IV. Vtendum verecundia. V. Omnia illa vitanda sunt, quorũ aspectus aut cogitatio molesta esse potest; quin etiam ea, quæ rei alicujus fædæ memoriam excitare queunt. VI. Quicquid molle & effæminatum, id cavendum, viro inprimis. VII. Mundicies corporis ac vestitus sequenda non odiosa & exquisita nimis, sed quæ absit à rusti-

à ruſtica negligentia, & diſſolutum hominem non arguat. VIII. Benevolentiæ aut honoris, quo alios proſequimur, ſigna uſu recepta non ſunt negligenda, ſed ita, ne in iis videamur nimii. Alia multa, quæ pro diverſitate loci, temporis, perſonarum, ac rerum obſervanda ſunt, videantur apud eos, qui de Civilitate morum, aut de civili converſatione ſcripſerunt: quanquam plurima uſu ipſo aliorumq; exemplis ſunt diſcenda.

Quid morum elegantiæ opponitur?

Ruſticitas in defectu: in exceſſu autem *Superſtitioſa* aut *Ridicula civilitatis affectatio.*

Qua in re ſitum eſt decorum illud, quod ex diverſitate naturæ, ſexus, ætatis, conditionis oritur?

In eo, ut quisq; in actionibus id ſequatur, quod ingenio ſuo non vitioſo, ſexui, ætati ac vitæ ſtatui convenit.

Quomodo ex diverſitate naturæ diverſitas quoq; decori naſcitur?

Natura pro varietate temperamenti ad varia nos vitæ genera, variasq; virtutes aut vitia pronos facit: quod vitioſum eſt, id corrigendum eſt: quod bonum quisq; nactus eſt à natura ſibi maximè proprium ac peculiare, id ſi ſtudio excolat, eum maximè decebit. Atq; ut de diverſis vitæ generibus, ad quæ nos naturæ impetus rapit, taceamus, in virtutibus quoq; id apparet: alii enim ad ſeveri-

 tatem,

tatem, gravitatem, magnanimitatem à natura sunt facti: alii ad lenitatem, humanitatem, ac modestiam majorem, ita ut nec illi horum facilitatem, nec hi illorum gravitatem imitari usquequaque possint, nec omnino deceat, licet utrique & graves sint, & modesti, sed alia atque alia ratione.

Quænam virilem sexum decent, & quæ fœmineum?

Virilem sexum major decet animus. Ejus enim sexus est discrimina adire pro bonis, Rempublicam gubernare, foris rem parare, itinera suscipere, cum aliis contrahere, erudire alios, sermonem habere ad populum, ad quæ omnia major requiritur animi præsentia. Fœminas major decet modestia, & verecundia; earum fortitudo ab audacia longiùs debet discedere, quàm virorum; domi potius rem à viris partam custodire, quàm foris versari, aut itinera suscipere; aliis potius parêre, quàm imperare; tacere potius & audire, quàm loqui debent.

Quænam verò hanc illamvé ætatem decent?

Iuniores major decet modestia & verecundia; seniores major gravitas & severitas: illi rectè monentibus libenter parêre; hi rectè præcipere, & exemplo ad omnem honestatem cæteris præire debent. Iuvenes ac viri labores qui majores corporis vires postu-

lant, suscipere, senes consilio alios instruere: his corporis labores minui, animi exercitationes etiam augeri (senectutem decrepitam excipio) solent.

Quænam in diversis vitæ generibus decent?

Hæc quia propè sunt innumera, ideò prolixum esset singula persequi. Sunt in Ecclesia, in Republica, in Schola, in Domo varia munera dignitate inter se discrepantia, quorum officia partim peculiaribus libris sunt descripta, ut *Principis, Consiliarii Ecclesiastæ &c.* alia ipso usu, monitis prudentum, & eorum, qui cujusque vitæ generis maximè sunt gnari, discenda veniunt: omnia verò ex fine cujusque vitæ generis ac muneris inprimis æstimanda sunt. Finis enim est, qui media definit.

Hactenus de Virtute morum perfecta & communi.

CAPVT XIII.

De Virtute Heroica.

Quid est Virtus Heroica?

Virtus morum adeò excellens, ut, qui eam habet, communem humanæ naturæ conditionem videatur supergredi.

Vnde ea cognoscitur?

Inde, quòd quis ea præstare soleat, quæ in virtutum actionibus maximè sunt ardua, & quæ ne ii quidem, qui communiter viri boni dicuntur, facere solent.

Quibus ex causis oritur?

Tribus potissimùm: singulari naturæ bonitate, assvetudine, cui sapientiæ studium subservit, & divini spiritus afflatu: quæ causæ vel omnes simul concurrunt, vel duæ, aut una potissimùm virtutem heroicam producit. Adjuvant autem & promovent etiam externa, nempe res admodum secundæ, vel admodum adversæ aut periculosæ; hæ occasionem illius exercendæ præbent, illæ etiam instrumenta.

Quomodo dividitur?

Quanquam ex causis efficientibus divisio aliqua peti potest, tamen & hæc illius tradi potest distributio, quòd ea vel sit excellentia & perfectio omnium virtutum moralium, vel quarundam, vel unius tantùm. Prima illa in Christo, tum in Paulo, cæterisqúe divinis viris ac Christianis enituit, pro ratione muneris. aut stàtus uniuscujusque nunc clariùs nunc obscuriùs. Quod ad certas virtutes attinet, in quibus heroicus animus inprimis cernitur, inter eas primum locum obtinet Magnanimitas, cui Fortitudo & Patientia est adjungenda: sequitur Temperantia & Castitas singularis, tum Iustitia, Beneficentia, Mansvetudo ac Clementia, præsertim cùm magnæ sunt vitiorum contrariorum occasiones & irritamenta.

Quid Virtuti Heroicæ opponitur? Feri-

Feritas seu Immanitas.

Quid est Feritas seu Immanitas?

Vitiositas adeò fœda, ut excussa ratione hominem ad pecudes abjiciat. Id fit, cùm quis ea committit flagitia, quæ plerique, licèt aliàs improbi & vitiosi vitare solent, & à quibus humana natura prorsus videtur abhorrere.

Quibus ex causis oritur?

Naturâ depravatâ, casu, morbo, consvetudine, aut pœna divina peccatum consequente. Ea, quæ ex consvetudine aut pœna divina peccatum consequente oritur, vitium morale est propriè sic dictum, & communi vitio deterius: cætera feritatis genera alio quodam modo vitia dicuntur, & commiseratione potius, quàm vituperatione, aut pœna digna sunt, præsertim si nulla eorum, qui illis laborant, culpa intervenerit, quæ in morbis aliisvé casibus nonnunquam deprehenditur.

Quomodo dividitur?

Præter eam divisionem, quæ ex causis petitur, hæc quoque tradi potest: quòd alia sit vitiorum omnium, quæ in eundem hominem simul cadere possunt, excessus quidam: vel quorundam, aut unius tantùm; ut impietatis, intemperantiæ, atque inprimis libidinis, tum crudelitatis, injustitiæ, timiditatis.

CAPUT XIV.

De Virtutibus Imperfectis, *atque in specie,* De Continentia.

Quid sunt Virtutes Imperfectæ?

DIspositiones, seu gradus quidam ad virtutes perfectas.

Quot sunt?

Tot, quot ipsæ virtutes perfectæ: sed cæteras propemodum in se complectuntur hæ duæ, *Continentia* & *Tolerantia*, quæ circa voluptatem & dolorem, eorumq; cupiditatem ac fugam versantur: hæc verò per omnia virtutum objecta sunt diffusa. Itaq; de duabus his virtutum imperfectarum speciebus nobis insignitè agendum est.

Quid est Continentia?

Continentia est virtus imperfecta circa voluptates eas, quæ habent nimium, seu quarum excessus vituperatur.

Annon omnium voluptatum est nimium, seu excessus vituperatione dignus?

Non: Nemo enim jure eum reprehenderit, qui ex actionibus honestis, ex spe ac gustu immortalitatis, ex rerum divinarum contemplatione, voluptatem capiat maximam, eamq; vehementissimè appetat.

Quotuplices

Quotuplices sunt voluptates quæ habent nimium? part.spec.

Duplices: aliæ sunt genere ipso necessariæ, nempe *quæ ex cibo & potu percipiuntur; itemq́, eæ, quæ ad propagationem sobolis pertinent, circa quas versatur Temperantia:* aliæ non necessariæ, expetendæ tamen, si modus adhibeatur: ut *eæ, quæ ex honore, lucro, victoria, manant, itemq́, voluptates aurium, oculorum, narium; quædam etiam tactus, ut ex frictionibus perceptæ, & similes.* Ex qua divisione ipsius etiam Continenriæ divisio nascitur.

Quotuplex ergo est Continentia?

Duplex: alia simpliciter sic dicta; alia cum adjectione, seu appositone objecti, in quo versetur. Illa in necessariis versatur voluptatibus; hæc in nō necessariis. Eadem quoq; *Incontinentiæ* seu *Intemperantiæ* est distributio.

Quid est Continentia simpliciter sic dicta?

Virtus imperfecta in voluptatibus necessariis occupata, vel temperantia imperfecta: Vnde vulgo Continentiam & Temperantiam inter se confundunt. Itaq́ Continentiæ præcepta ex doctrina de Temperantia petenda sunt.

Qua in re Continens & Temperans discrepant?

Quod in homine continente cupiditates adhuc sint vehementes, & cum recta ratione acriter contendant, licet vel semper, vel plerumq; ab ea vincantur. At in temperante

cupidi-

cupiditates non sunt acres, sed moderatæ, & rationi libenter parent. Itaq; continenti voluptates turpes allubescere solent, adeò ut ægrè sibi ab illis temperet: temperanti non item.

Quid est Incontinentia simpliciter sic dicta?

Vitium imperfectum in voluptatibus necessariis modum superans: seu, intemperantia imperfecta,

Quomodo inter se differunt Incontinens & Intemperans?

Quod Intemperans jam persuasus est, voluptates turpes esse persequendas, corrupto rectæ rationis de rebus honestis & inhonestis judicio. At Impotens salvum habet rectæ rationis judicium de rebus honestis ac turpibus, ideoq; contra animi sui sententiam turpes voluptates à cupiditate victus persequitur.

Potestné aliquis sciens peccare?

Potest: nam cùm rei turpi aliquid est admixtum boni, qualecunq; illud sit, potest voluntas libera eam vel repudiare propter turpitudinem, vel amplecti propter admixtum bonum, ut in doctrina de voluntate dictum est. Est tamen ista scientia, contra quam quis peccat, in affectus & rationis pugna non prorsus libera, & liquida, sed aliqua ratione impedita, & turbata, maximè tum,

cum decretum de cupiditate implenda jam factum est.

Quid de Continentia & Incontinentia cum adjectione statuendum est?

Idem quod de ea, quæ simpliciter ita dicitur, observato tantum discrimine, quod in objecto consistit. Est enim Continentia hæc virtus imperfecta in voluptatibus non necessariis, per se tamen expetendis, occupata. Incontinentia ei opposita, vitiũ imperfectũ in iisdem voluptatibus modum excedens.

An non alia adhuc Impotentiæ in universum restat divisio?

Restat: alia enim Temeraria dicitur, alia Imbecillis. Temeraria est eorum, qui nulla antegressa præmeditatione de voluptate spernenda, ab eâ adveniente vincuntur, *quales sunt ii, qui celeres & vehementes habent motus.* Imbecillis eorum est, qui diligenter præmuniti adversus voluptatem ab eâ nihilominùs vincuntur.

CAPUT XV.

De Tolerantia.

Quid est Tolerantia?

Virtus imperfecta, quâ dolores non sine magna rationis & appetitus lucta superamus.

Quæ sunt Tolerantiæ præcepta?

Ea in

Ea in doctrina de Fortitudine & Patientia, à qua gradu tantum differt, tradita sunt. Nam quod est Continentia respectu Temperantiæ, id est Tolerantia respectu Patientiæ, adeo ut definiri etiã possit, Patientia inchoata.

Quid ei opponitur?

Mollities.

Quid est Mollities?

Vitium imperfectum, quo doloribus, quos pleriq; non difficulter superant, contra rationis judicium succumbimus.

Annon ii quoq; molles sunt censendi, qui exquisitissimis doloribus succumbunt?

Non: quanquam dum succumbunt, cum non deberent, ad mollitiem inclinant.

An ii molles sunt censendi, qui ob naturæ imbecillitatem, morbum aut casum quædam non sustinent, quæ alii facilè?

Non: Sed si iis succumbant, quibus alii eodem imbecillitatis genere laborantes facilè sunt superiores. sic *non protinus sunt accusandæ fæminæ, si ab iis vincantur doloribus, quos viri facilè superant, sed si eos non ferant, quos aliæ mulieres paulo constantiores facilè sustinent.*

Finis doctrinæ de Virtute Morali.

Secunda Pars Tractationis de Virtute, *quæ agit* De Virtute Intellectus

Caput I.

Definitio & Divisio Virtutis Intellectûs.

Quid est Virtus Intellectus?

Habitus mentis, quo verum concipimus. Græci rotundiùs ἕξιν ἀληθευτικὴν definiunt.

Quot sunt virtutes Intellectus?

Quinq; : Ars, Prudentia, Intelligentia, Scientia, Sapientia.

Quomodo inter se distingvuntur?

Objectis. Nam objecta, circa quæ versantur, vel sunt necessaria, vel contingentia. Necessaria iterum sunt quodammodo triplicia: Principia, Conclusiones ex illis deductæ, & Vtraq; inter se juncta. Circa Principia sola versatur *Intelligentia*; circa Conclusiones ex iis deductas *Scientia*; circa Vtraq; simul *Sapientia*. Contingentia sunt duplicia: vel enim planè sunt incerta, nec sub hominis arbitrium ca-

um cadunt, qualia ſunt ea, quæ à caſu ac fortuna pendent, & circa hæc nullus verſatur habitus, ſed opinio tantum: vel ad aliquam certitudinem revocari poſſunt, & ſub hominis arbitrium cadunt. Et hæc iterum ſunt duplicia: vel enim ad actionem ac mores pertinent, vel ad effectionem, ſeu operis alicujus productionem: Circa priora verſatur *Prudentia*, circa poſteriora *Ars*.

Annon alia quadam ratione diſtingvi poſſunt hi habitus?

Poſſunt finibus. Alii enim ſunt *Contemplativi*, quorum finis per ſe eſt ipſa cognitio, & hi tres ſunt, *Sapientia, Intelligentia, Scientia*: Alii *Practici*, hoc eſt, quorum finis eſt præter cognitionem Actio honeſta, & eſt *Prudentia*: Alii *Effectivi*, quorum finis eſt operis alicujus productio, & eſt *Ars*. Nos in iis explicandis ab eo incipiemus, qui dignitate poſtremus eſt, & cæteris ſubſervit.

CAPVT II.

De Arte.

Quot modis Artis vocabulum accipi ſolet?

TRib⁹ potiſſimùm: vel enim ita latè ſumitur, ut omnis honeſtas diſciplinas ac ſcientias in ſe complectatur, vel pro præceptis alicujus artis ac diſciplinæ: vel denique pro virtute Intellectus, quæ verſatur circa opus aliquod

aliquod efficiendum, quo modo hîc accipimus. Cap. II. Tract. de virt. Intel.

Quomodo ab Aristotele definitur Ars?

Habitus mentis ad aliquid cum recta ratione efficiendum comparatus: seu, Virtus mentis effectiva.

Quotuplices sunt artes?

Duplices: aliæ sunt Certæ, quæ certa ratione finem suum semper assequuntur, ut *Grammatica, Analytica, Geometria illa, quæ in agris dimetiendis* occupatur, *Arithmetica, quam practicam appellare licet:* aliæ sunt Stochasticæ, quæ pro diversitate circumstantiarum alia atq; alia ratione finem suum consequuntur, aut etiam licet omnia adhibuerint media, finem interdum propter impedimenta artis vim superantia non assequuntur, ut *Rhetorica, Medicina, Nautica, Militaris:* non enim semper persuadet Rhetor, licet optimus; nec semper medicus sanat. Prioris generis artes consultatione non egent: hæ egent, & prudentiæ opem desiderant.

Annon & alia est Artium distinctio?

Est: nam aliæ in ipso artifice opus suum producunt, ut *Logica*, quæ in artificis mente format argumenta: aliæ extra artificem, quod inprimis faciunt *Mechanicæ*. Distingvuntur aliàs artes fine, & materiâ, seu objecto, in quòd formam artificialem introducere laborant.

 borant.

borant. Sed hæc persequi non est nostri instituti.

Quid Arti opponitur?

Inertia, non ea, quæ desidiam significat; sed ea, quæ est vel privatio artis, vel habitus ei contrarius, qui definitur: Habitus falsa ratione aliquid efficiens.

CAPVT III.

De Prudentia.

Quid Prudentiæ nomine intelligis?

HAbitum rectè consultandi: vel, Virtutem intellectus in consiliis occupatam.

Quotuplex est?

Duplex: alia simpliciter sic dicta: alia secundùm quid, seu hâc illâvé in re. Illa universæ vitæ rationem moderatur; hæc, in certis tantùm rebus ad vitæ rationem pertinentibus occupatur, ut *in iis, quæ ad valetudinem robur augendum, agrum rectè colendum pertinent* ista huic præest; hæc illi subservit. Nobis de priori potissimùm erit sermo.

Quomodo definis Prudentiam simpliciter sic dictam?

Prudentia est virtus mentis actiones totius vitæ dirigens.

Quænam Prudentiæ sunt officia?

I. Verum totius vitæ finem, & apta ad eum consequendum media nosse.

II. Sing

II. Singularum actionum circumſtantias examinare, & exinde facta ipſa moderari.

III. Inter duo, pluravé bona aut mala delectum rectè inſtituere.

IV. Conſilia recta invenire, inventa tegere, & quanta licet celeritate exequi. Et in hoc quidem poſtremo maxima prudentiæ vis cernitur, adeò ut cætera ejus officia ad hoc unum revocari quodammodo poſſint.

Quænam ad rectum conſilium requiruntur?

I. Vt honeſtus præfigatur finis.

II. Vt tum honeſta, tum commoda ad eum inveniantur media: quam ad rem mora, ſi res ipſa ferat, in deliberando adhibenda eſt.

Quænam ad Prudentiam comparandam ſunt neceſſaria?

I. Ingenii acumen ac judicii bonitas.

II. Experientia, in qua robur prudentiæ eſt longè maximum.

III. Doctrina inprimis politica, quâ Ethicam complectimur, & hiſtoriarum cognitio: quanquam doctrina, ſi cætera omnia adſint, nonnunquam abeſſe poteſt, ſed ita, ut nonnihil prudentiæ faſtigio decedat.

IV. Virtutis atque inprimis temperantiæ ſtudium: hæc enim prudentiæ eſt cuſtos & altrix.

Quotuplex eſt Prudentia?

Prudentia ſimpliciter ſic dicta una revera

Tract. de virt. Intel.

est, sed pro diversitate materiæ, in qua occupatur, quodammodo fit multiplex. Prudentia enim vel in privatis tantùm nostris negotiis & actionibus cernitur, vel in aliorum etiam. Prior, generali nomine prudentiæ contenta est. Posterior iterum duplex est; vel enim in Reipub. negotiis versatur; vel totius alicujus familiæ commodis consulit: illa *Politica*, hæc *Oeconomica* dicitur.

Quodnam est Prudentiæ Politicæ officium?

Totius Reipub. felicitati prospicere. Quod fit, cùm curat, ur virtus ac pietas ab omnibus colatur, sapientiæ studia floreant, tranquillitas sit ac pax tum extra, tum intra mænia, & copia rerum ad vitam commodè ac liberaliter traducendam necessariarum.

Quotuplex est Prudentia Politica?

Duplex: Altera circa universalia occupatur, & dicitur *Nomothetica*, seu *legum ferendarum scientia*: altera verò circa singularia negotia, & hæc generale prudentiæ politicæ nomen sibi tanquam proprium vulgò assumit, eaq; iterum duplex est: *Iudiciaria*, quæ in litibus dirimendis, ac causis disceptandis versatur; et *Consultatrix*, quæ in deliberationibus publicis cernitur.

Quodnam Oeconomicæ Prudentiæ est officium?

Prudentiæ civili inservire, & quæ illa publicè curat, privatim exequi: ad virtutem, religio-

religionem, & si licet, sapientiam quoq; domesticos instituere, prosperitati eorundem, & commoditati vitæ prospicere.

Annon σύνεσις etiam, quam Latini intelligentiam vocant, ad prudentiam pertinet?

Pertinet: Est enim nihil aliud, quàm Prudentia de iis judicans, quæ ab aliis sunt constituta.

Annon εὐγνωμοσύνη etiam huc pertinet?

Pertinet: Est enim judicium rectum viri æquum bonum amantis. Quale verò illud sit, ex doctrina de æquo bono cognosci potest.

Quid Prudentiæ opponitur?

Imprudentia, vel ut privatio, vel ut contrarium. Si ut contrarium, definietur Habitus mentis actiones totius vitæ malè instituens. Ad hanc *Astutia* pertinet, quæ apta quidem media ad finem assequendum invenit, sed vel inhonestum finem sibi præfigit, vel inhonestis ad eum contendit mediis, vel utrumque simul facit.

CAPUT IV.

De Intelligentia.

Quot modis sumitur Intelligentia seu Intellectus?

Duobus potissimùm: vel pro facultate naturali, qua intelligimus: vel pro habitu quodam mentis nostræ, in qua significatione hoc loco nomen istud accipimus.

Quomodo definitur?

Virtus mentis in ſcientiarum principiis occupata: vel, Habitus animi ratione præditi, quo ſcientiarum principia cognoſcuntur.

Quid vocas ſcientiarum principia?

Propoſitiones naturâ clariſſimas, quibus cætera, quæ in ſcientiis traduntur, tanquam fundamentis ſuperſtruuntur, quæ per cauſas proprias demonſtrari ampliùs nequeunt.

Quomodo autem iſta principia cognoſcuntur & probantur?

Modi, quibus primò colliguntur principia, ſunt duo: *Inductio ſingularium, & Collectio ex effectu:* his etiam modis, cùm in dubium vocantur, probari ſolent in ſcientiis, quibus adde *Deductionem ad impoſſibile, & rationes communes, quas Ariſtoteles vocat Logicas,* quæ non ex mediis cuilibet quæſtioni propriis, ſed generalioribus, & ad alias etiam quæſtiones probandas aptis deducuntur. Sed generatim loquendo, omnium aptiſſimi ſunt ad principia probanda duo hi modi: *Inductio, & Deductio ad impoſſibile.*

Quid Intelligentiæ opponitur?

Quod ei propriè opponitur, caret nomine; dici autem poteſt, *Ignorantia principiorum.*

CAPVT V.

De Scientia.

Quot

Quot modis sumitur vox Scientiæ?

Tribus potissimùm: *primò* latissimè, pro quavis cognitione, præsertim certa sive singularium, sive universalium. *Secundò* paulò strictiùs, pro cognitione certa universalium, atque inprimis necessariorum, qua ratione intelligentiam & sapientiam, imò & artem in se complectitur. *Tertiò* strictissimè, pro cognitione certa conclusionum, quæ per causas proprias habetur. Et hæc significatio est hujus loci.

Annon alia adhuc subest huic voci ambiguitas?

Subest, & quidem duplex: nam *primò* sumitur vel pro habitu sciendi, qui etiam est in dormiente, vel pro actu. *Deinde* vel pro cognitione unius tantùm conclusionis, vel pro notitia plurium conclusionum ad idem rerum genus pertinentium, & unum disciplinæ corpus seu systema constituentium, ut est *Physica, Astrologia, Arithmetica, Geometria.* Hoc loco ponitur pro habitu, qui complectitur cognitionem multarum conclusionum ad idem rerum genus pertinentium.

Quomodo definitur Scientia?

Habitus demonstrativus, seu demonstratione comparatus.

Quænam in quavis Scientia considerantur?

Hæc tria: Subjectum, Principium & Affectiones subjecti propriæ. Principia autem in-

Tract. de virt. Intel. telligetum ea, quæ subjectum constituunt, quæ sunt res simplices, & appellantur *Principia constitutionis*, tum propositiones per se claras, ex quibus affectiones propriæ de subjecto demonstrantur, quæ appellantur *Principia cognitionis*; hæc primò sub intelligentiam cadunt, ejus beneficio scientiis inseruntur, quæ sine illa consistere non possunt. *Sic in Physicis tractatur de corpore naturali, de principiis & affectionibus ejus propriis tum generalibus, tum specialibus, descendendo à genere usque ad species infimas: Corpori naturali in genere generalia accommodantur tum principia, tum affectiones, speciebus ejus specialia.* Sed de his pleniùs agitur in Analyticis, ubi de Demonstratione tractatur.

Quid Scientiæ opponitur?

Ignorantia, præsertim conclusionum necessariarum.

Quotuplex est Ignorantia?

Duplex: altera negationis, altera pravæ dispositionis: quæ divisio non tantum in ignorantia Scientiæ strictè sumtæ opposita, sed & in quavis alia locum habet.

Quid appellas ignorantiam negationis?

Meram absentiam, seu privationem scientiæ in eo, qui scire per naturam potest: *qualis est in rustico Metaphysicæ*, aut *Mathematicæ ignoratio.*

Quid

Quid vocas ignorantiam pravæ diſpoſitionis?

Errorem ſeu falſam perſuaſionem: *qualis eſt in Turcis aut hæreticis ignorantia veræ religionis.*

CAPVT VI.

De Sapientia.

Quot modis Sapientiæ vox ſumitur?

TRibus: vel pro prudentia, *qua ratione Lælius aut Cato Sapientes ſunt dicti:* vel pro excellentia & perfectione cujusvis artis, *qua ratione architectus, pictor, aut ſtatuarius excellens, à Græcis dicitur Sapiens:* vel deniq; pro omnium ſcientiarum faſtigio & perfectione; quomodo hic accipitur.

Quid eſt Sapientia?

Virtus intellectus, quâ tum principia rerum univerſarum, tum ea, quæ ex principiis pendent, cognoſcuntur.

Quodnam diſciplinæ genus hoc nomine intelligitur?

Vel Metaphyſica, quæ ſapientia, Philoſophia prima, item Theologia ſolet ab Ariſtotele appellari, quæ de Ente ut ens eſt in univerſum, & ejus affectionibus communibus agit, maximè autem de Ente primo, quòd cæterorum omnium principium eſt; id verò eſt Deus optimus maximus. Vel intelligi poteſt univerſa Philoſophia, quæ olim Sapientia dicta eſt, à Pythagora verò modeſtiæ cauſa Philoſophia ſeu amor ac ſtudium Sapien-

Tract. de virt. Intel. tiæ, quod Sapientiæ nomen ſoli Deo videretur competere.

Vtra virtus eſt præſtantior, Sapientia an Prudentia?

Sapientia naturâ ſuâ præſtantior eſt: cum prudentia illius cauſa imperet, & curet, ut ea in civitate habeat locum: prudentia tamen magis eſt neceſſaria.

Quid Sapientiæ opponitur?

Inſipientia, quæ eſt ignoratio principiorum communium, & rerum, quæ inde pendent.

Finis ſecundæ partis Ethicæ, quæ eſt de Virtute Intellectus.

Tertia Pars Ethices

De Voluptate.

Tract. de volup.

Quid est Voluptas?

VOluptas est perfectio functionum facultatis cognoscentis.

Quænam est facultas cognoscens?

Quæ percipit ac judicat objectum suum; estq; duplex: *Sensus*, & *Mens* seu *Ratio*. Vnde patet, ea tantum voluptatis esse capacia, quæ vel utraq; hac facultate, vel alterutra sunt prædita: nempe *Deus, angeli, homines, bruta.*

Quibus in rebus perfectio ista functionum consistit?

Duabus in rebus: quarum prior ad facultatem cognoscentem pertinet, posterior ad ejus objectum. Nam *primò* requiritur, ut facultas cognoscens sit benè secundum naturam affecta, & in actione ipsa non impediatur. *Secundò*, ut objectum cognitum benè se habeat, & cum facultate cognoscente, ejusq; instrumento egregiè consentiat.

Quæ est prima Voluptatis divisio?

Voluptas alia est simpliciter & absolutè talis: alia verò per accidens, seu huic, aut illi tantum. Simpliciter dicta voluptas ea est, quæ illis videtur talis, qui secundum naturam benè sunt affecti. Et ratione quidem mentis benè sunt affecti viri sapientes, & vir-

tute præditi: secundum corpus ii, qui recti valent. Voluptates per accidens illæ sunt quæ tales videntur iis, qui vitio aliquo labo- rant, sive animi, sive corporis; *tales sunt volu- ptates improborum, ægrotorum aut melancholico- rum, quibus ea sæpe jucunda sunt, à quibus boni aut sani maximè abhorrent.* Definitio antea tradita prioris generis voluptates revera describit: posterioribus non nisi ex parte convenit.

Quæ est secunda divisio?

Voluptates aliæ sunt mentis, aliæ sensuum, quæ etiam corporis dicuntur, quia sensus in corpore aliquo modo resident, & corporeis instrumentis operationes suas absolvunt. V- træq; iterum tot habent genera, quot gene- ra sunt actionum, sive mentis, sive sensuum. Diversarum enim actionum diversa est per- fectio, adeoq; & voluptas.

Quæ est tertia divisio?

Voluptates aliæ sunt honestæ, aliæ turpes, aliæ neutræ seu ἀδιάφοροι, hoc est, quæ per se nec turpes sunt, nec honestæ. Honestæ vo- luptates sunt, quæ ex actionibus honestis percipiuntur; turpes quæ ex turpibus; neu- træ quæ ex neutris.

Quæ est quarta divisio?

Voluptates aliæ sunt puriores, aliæ impuri- ores, ut et actiones. Puriores illæ sunt, quæ corporeum contactum rei, quæ voluptatem excitat, vel plane non requirunt, vel minus

requirunt: impuriores, quæ magis. *Sic purior eſt mentis voluptas, quam ſenſuum, & inter voluptates ſenſuum puriores ſunt eæ, quæ oculis, auribus, naribus percipiuntur, quam quæ guſtu & tactu.* Tract. de volup.

Cur voluptates guſtus & tactus, licet impuriores, tantoperè vulgus appetit, relictis voluptatibus mentis?

Triplex hujus rei eſt cauſa 1. quia voluptates guſtus & tactus ſolet antecedere dolor quidam, ex defectu naturæ ortus, qui cùm nobis admodum ſit moleſtus, vehemens iſtarum voluptatum deſiderium excitat. Voluptates enim iſtæ inſtar medicinæ cujusdam ſunt, quæ dolorem iſtum mitigant, aut tollunt, & quo majores ſunt, tanto magis: mali autem ſenſus medicinæ deſiderium excitat & ſtimulat. Voluptatum animi alia eſt ratio; eas enim non antecedit naturæ defectus, adeoq; nec moleſtia, & vehemens aliquod iſtarum voluptatum deſiderium ex dolore natum. 2. quod voluptates corporis hominibꝰ ſint notiores ac familiariores: iis enim ab ineunte ætate utimur: mentis voluptates veras nonniſi longo demum tempore guſtamus. Veriſimilius autem eſt notiora vulgus appetere, quam ignotiora. 3. quia ad ſolidas animi voluptates non niſi multis laboribus pervenitur: voluptates corporis obviæ ſunt. Laborem autem omnes fugimꝰ.

Finis tractationis de Voluptate.

QUARTA PARS ETHICES

De Amicitia.

Quot sunt partes tractationis de Amicitia?

QVatuor: In prima agitur de ejus necessitate & usu. In secunda definitio & varia ejus divisiones traduntur. In tertia præcepta de amicitia exponuntur. In quarta quæstiones quædam de Amicitia enodantur.

CAPVT I.

De Usu & necessitate Amicitiæ.

Quam latè patet Amicitiæ necessitas & utilitas?

AMicitia tum privatim, tum publicè utilis est & necessaria, & privatim quidem in utraq; fortuna, & quavis ætate.

Cur necessaria est Amicitia in secunda fortuna?

Duplici de causa: 1. quia sine amicitia fructus bonorum propemodum perit, Beneficentia, inquam, & Iucunditas. Beneficentia quia ea in amicos maximè & honestissime exercetur. Iucunditas, quia nullius boni sine socio jucunda possessio, & in maximis opibus colloquia amicorum desideramus. 2. quia custodia & defensione bonorum est opus, idq; tanto magis, quanto ea sunt majora nam tanto plures habent insidiatores: at a-

gr

grè custoditur, quod multis placet. Quis verò tua custodire volet, nisi amicus?

Cur neceßaria est amicitia in adversa fortuna?

Propter solatium & auxilium.

Cur in infantia & pueritia opus est amicitiæ?

Propter educationem. Ætas enim hæc auxilii maximè est indiga: qua de causa naturæ architectus tantum parentibus erga prolem indidit amorem, ut per tot curas ac molestias hæc ætas ad maturitatem perduceretur.

Cur adolescentibus & juvenibus opus est amicitia?

Vt ab amicis artibus ingenuis, & moribus honestis imbuantur, atq; à vitiorum illecebris, quibus inprimis capitur hæc ætas, revocentur, & sicubi exorbitare incipiant, in viam reducantur. Est enim in hâc ætate magna judicii imbecillitas, rerum imperitia, affectuum vehementia.

Cur viris opus est amicitia?

Opus est tum ad cognitionem rerum, tum ad actionem; & in actione quidem tum ad consilia ineunda, tum ad ea exequenda. Nam plus vident oculi, quam oculus, nec mediocre telum ad res gerendas est amicorum benevolentia.

Cur senibus?

Quia senes ob corporis imbecillitatem neque se ipsos satis curare, neq; alias res, quæ corporis robur postulant, obire commodè

queunt,

queunt, ideoq; amicis indigent, quorum opera id consequantur, quod per se ipsi non possunt.

Cur publicè opus est amicitiâ?

Quia concordia est vinculum, ac fulcrum Reipublicæ, fundamentum securitatis communis, quæ efficit, ut alii ab aliorum injuriis abstineant, eorum commoda promoveant, communibus hostibus resistant, ad præclara facinora se mutuò adjuvent, sine hâc non modo non florere, sed nè stare quidem potest civitas. *Concordiâ* enim *res parvæ crescunt; discordiâ maximæ dilabuntur.*

Annon habes aliud adhuc signum necessitatis & utilitatis amicitiæ?

Habeo: quod natura ipsa non modo hominibus, sed & brutis conjunctionis & convictus desiderium altissimè insevit. Nihil autem frustra facit natura, & admodum necessarium esse oportet, ad quod tantos nobis infixit stimulos.

CAPVT II.

Amicitiæ definitio & divisiones.

Sectio I.

Quid est Amicitia?

AMicitia est benevolentia mutua & manifesta, qua alter alteri ipsius causa bonum cupit.

Annon

Annon omnis benevolentia est amicitia?

Non: Est enim quædam benevolentia non mutua, quædam non manifesta alteri, quædam planè otiosa, hoc est, non conjuncta cum desiderio convictus, cum cupiditate gratificandi alteri, quorum utrumq; in vera amicitia reperitur.

Vnde amicitia oritur?

Ex eo, quod alter in altero vel re ipsa deprehendit, vel esse credit ejusmodi bonum, quod amore ac benevolentia dignum sit, & arctiorem cum eo nexum ac conjunctionem postulet. Hæc enim persuasio impetum, quem natura nobis ad amicitiam indidit, excitat & promovet.

Sectio Secunda.

Quæ est prima divisio Amicitiæ?

AMicitia alia *per se est*, alia *per accidens.* Illa ex bonis per se oritur, hoc est, ex Virtute, quo nomine non modo moralem, sed & mentis virtutem complectimur, licet illam magis: hæc ex bonis per accidens, hoc est, Vtilitate, ac Voluptate. Vnde amicitia per accidens iterum efficitur duplex: alia enim ex Vtilitate est, alia ex Voluptate, adeò ut in universum tria possint constitui amicitiæ genera: *Amicitia ex Honestate, ex Iucunditate, ex Vtilitate.*

Suntne hæc amicitiæ genera inter se paria?

Non: Prior enim ac potior est amicitia pe se, quàm ea, quæ per accidens: & isti quidem magis amicitiæ definitio competit, huic mi nus. Nam is, qui virtutis causa amat alterum, eum verè ipsius causâ amat; qui verò volu ptatis, aut utilitatis gratiâ, non tam ipsius quàm sui causâ eum amat. Virtus enim es bonum illius, qui eam habet, proprium, & in ipsum vertitur; at utilitas & jucunditas, de qua loquimur, refertur aliò, nempe ad eum qui illius consequendæ causâ alterum ama Itaq; amicitiæ genus est *ab uno*, quod non æ qualiter, sed secundùm magis ac minus de suis speciebus prædicatur.

Quæ sunt differentiæ inter amicitiam per se, & eam, quæ est per accidens?

Præter eas, quæ ex ipsa earum natura cuivi patent, nempe quod ea, quæ per se est, in vi ros tantum bonos cadat, quæ per accidens in quosvis; illa inventu sit perrara, hæc pas sim obvia; illa multitudinem amicorum vi admittat, hæc ferat; præter has, inquam, dif ferentias istæ quoq; tradi possunt: 1. Quo ea, quæ per se, sit stabilis, quæ per accidens instabilis: illa enim virtute, tanquam stabil nititur fundamento, hæc fugacibus boni 2. In amicitia, quæ est ex virtute, neuter a micorum ullum desiderat bonorum genu

qu

quæ ab amicis expetuntur, eſt enim virtuti conjuncta ſemper jucunditas & utilitas: at in vulgaribus amicitiis hæc bonorum genera diſtingvi poſſunt ac ſolent. 3. Amicitia ex virtute longa periclitatione indiget, antequam penitùs coaleſcat: diverſa vulgarium eſt ratio, maximè illius, quæ ex voluptate. 4. Illa tum criminationibus & querelis, tum ſiniſtris ſuſpicionibus vacat, quia neuter amicorum injuriam facit alteri, & cum alter alterum probè novit, ſiniſtrè de illo non ſuſpicatur; alia eſt amicitiarum vulgarium ratio. 5. Homines potentes & opulenti amicitiam ex virtute rarò colunt, ex voluptate & utilitate libenter. Cap. II. Tract. de Amic.

Quomodo inter ſe differunt amicitiæ per accidens?

1. Eam, quæ ex utilitate, ſenes libenter colunt; eam, quæ ex voluptate, juvenes & viri juvenibus ſimiles. 2. Illa convictum non magnoperè deſiderat; hæc maximè: nam in convictu inprimis voluptatem ex amicis capimus. 3. Amicitia ex voluptate ferventior quidem eſt, ſed inſtabilior, niſi forte alter alterius mores paulatim imbiberit: nam & voluptas fere fugacior eſt, & juvenes, in quos cadit, inconſtantiores.

Sectio Tertia.

Quæ eſt ſecunda amicitiæ diviſio?

 Amici-

Tract. de Amic.

Amicitia alia est *simplex*, alia *mista*: seu n vis, alia *similium*, alia *dissimilium*.

Quæ est amicitia simplex, seu similium?

Est eorum, qui idem boni genus in ami tia quærunt, hoc est, eorum, quorum ute vel virtutem, vel utilitatem, vel volup tem ejusdem generis spectat: *talis est amici compotorum* v. g. *aut collusorum.*

Quæ est amicitia mista, seu dissimilium?

Cùm diversi generis bona spectantur ab micis; ut cum alter lucrum quærit, alter v luptatem: sic *parasiti, citharædi, caupones lucr solent quærere; ii, qui eos assectantur, voluptat* Fieri etiam potest, ut alter alterius gene voluptatem, aut commodum quærat: *princeps potentiam quærit, miles illius stipendium*

Sectio Quarta.

Quæ est tertia Amicitiæ divisio?

Amicitia alia est *parium*, alia *imparium*: i *æqualitatis*, hæc *excellentiæ amicitia* di tur.

Quæ est Amicitia parium?

Eorum, qui conditione vitæ ac dignita causisq; amicitiæ inter se sunt æquales: *cùm amici virtute pares sunt, aut utilitate, aut cunditate, nec dignitate multùm discrepant.*

Quæ est amicitia imparium?

Est eorum, quorum alrer alterum v

con

conditione ac dignitate, aut amicitiæ causâ superat: *qualis amicitia est inter magistratum & subditos.*

Quot sunt genera amicitiæ imparium?

Tot, quot sunt ipsius excellentiæ, quâ amicorum alter alteri præstat. *Alia est præstantia patris, qui superat filium, alia mariti præ uxore, alia magistratus præ subdito, alia præceptoris præ discipulo: itaque alia quoque, atque alia inter eos est amicitia, & diversis officiis colenda.*

Sectio Quinta.

Quæ est quarta amicitiæ divisio?

Amicitia alia est *Politica* seu *civilis*, alia *domestica*: utraq; rursus vel *parium*, vel *imparium*. Imparium illa est, quæ superioribus cum inferioribus intercedit: parium, quæ vel his, vel illis solis.

Quot sunt genera amicitiæ civilis, quæ est inter impares?

Tot, quot sunt genera, seu formæ Reipublicæ, seu administrationis civilis, in quibus aliquid juris est inferiori adversus superiorem.

Quotuplices sunt Republicæ formæ?

Duplices: *Rectæ* & *Pravæ*.

Quot sunt Rectæ?

Tres, quæ quidem sunt simplices, ex quibus aliæ miscentur. 1. *Regnum*, seu *Monarchia*, ubi unus publici boni causa imperat. 2. *Aristocra-*

Tract. de Amic.

ſtocratia, ubi plures virtute ac prudentia e
cellentes. 3. *Democratia*, quæ generali R
publicæ nomine appellatur, ubi omnes, q
certum habent cenſum, & imperio non ſu
indigni. Prima ſua natura optima eſt: ha
bonitate ſequitur ſecunda: tertia etiam d
gnitate poſtrema eſt.

Quot ſunt pravæ?

Itidem tres: 1. *Tyrannis*, quæ regno opp
nitur: 2. *Oligarchia*, quæ Ariſtocratiæ: 3. P
pularis ſtatus, qui Democratiæ. In prima un
ſui commodi cauſa imperat: in ſecunda pa
ci potentiores opibus aut nobilitate præv
lentes: in tertia omnes ingenui promiſcuè,
tiam ſordidiſſimi & imperitiſſimi. Pri
peſſima eſt, ſecunda minus mala, tertia in
malas optima.

Quænam domeſticæ adminiſtrationis genera re
ctis rerumpublicarum formis reſpondent?

Patris in liberos poteſtas regno reſpond
Ariſtocratiæ mariti & uxoris imperiu
conjunctum: Democratiæ fratrum societ
qui nonnihil in familiam juris & auctori
tis habent: quod ſi unus ex fratribus ætat
& auctoritate cæteris multum antecellat,
jus in fratres poteſtas patriæ ſimilis eſt.

Quæ ſocietates in domo pravis Rerumpubli-
carum formis reſpondent?

Tyrannidi duplex regiminis genus reſpo

d

det: alterum vitiosum; alterum genere ipso rectum: istud est durum & illiberale patris in liberos imperium; hoc verò ejusdem imperium in mancipia. Oligarchiæ aliquo modo respondet ille status, cùm vel maritus uxoris etiam officia ad se trahit, & vix ullam imperii partem ei relinquit: vel uxor superba mariti partes sibi sumit, & eum imperio vel prorsus, vel magnam partem excludit. Populari denique statui respondet ἀναρχία, quæ cernitur in familiis domino carentibus, aut dominum quidem habentibus, sed autoritate destitutum, ubi omnes imperant, nemo paret, nisi qui vult.

An in omnibus his tum civilis, tum domesticæ administrationis formis amicitia locum habet?

In rectis magna est superiorum cum inferioribus amicitia, in pravis exigua, interdum nulla, prout jus quoq; & communitas. Hæc enim duo cum amicitia pari quodammodo passu ambulant; ubi enim eorum unum est, cætera quoque vel sunt, vel esse possunt. Idem statuendum est de amicitia, quæ est ipsorum imperantium inter se, cùm ii sunt plures.

Quot sunt genera amicitiæ, quæ inferioribus ipsis inter se mutuò intercedit?

Varia pro varietate societatum, quas vel cives, vel ejusdem familiæ membra inter se

Tract. de Amic. colunt: ad civiles pertinent, *tribus, centuriæ, collegia artificum, societates mercatorum, publicanorum*, & si quæ sunt similes, quarum aliæ magis censendæ sunt publicæ, aliæ privatæ magis. Domesticæ, sunt societas fratrum, ac sororum inter se ætate non multùm discrepantium, itemq; servorum.

Annon alia adhuc domesticæ amicitiæ potest tradi distinctio?

Potest; alia enim naturalis est, & dicitur *Consangvinitas* seu *Propinquitas*; alia consensu ac voluntate hominum constat.

Quinam sunt gradus amicitiæ naturalis?

Primus est parentum & liberorum conjunctio, quæ cæterarum hujus generis amicitiarum origo est & caput, & in hac amor mutuus maximè viget, ita tamen ut parentes magis ament liberos, quàm hi illos. Secundus est fratrum conjunctio. Tertius cognatorum præter fratres omnium, avi cum nepotibus, patrui aut avunculi cum fratrum ac sororum liberis, fratrum patruelium, consobrinorum, & aliorum, quos inter se nectit eadem stirps, idemq; auctor generis, unde etiam illis amicitia naturalis vel major, vel minor est, quo à communi stirpe vel propiùs, vel longiùs absunt: propiùs inter se cohærent fratrum duorum filii, quàm nepotes; auctor enim idem avus est, à quo illi propiùs absunt, hi longiùs.

Quotu-

Quotuplex est amicitia domestica, quæ mutuò consensu constat?

Duplex: alia enim ad naturalem propiùs accedit; ut *conjugum & affinitate junctorum, ubi etiam naturæ quoddam intercedit vinculum:* alia longiùs ab ea recedit; ut *conjunctio domini cum servo, item sodalium, aut servorum inter se.*

Sectio Sexta.

Quæ est quinta amicitiæ divisio?

AMicitia alia habitu & possessione tantùm constat, alia etiam usu.

Quænam amicitia habitu tantùm est, quæ etiam usu?

Habitu ea constat amicitia, quæ in amicorum animis latet, convictu verò & mutuis officiis non colitur: Usu, quæ ipso se prodit opere, convictu, & officiorum vicissitudine exercetur. Illa inter absentes ferè est, hæc inter præsentes; nonnunquam tamen inter absentes etiam reperitur, cùm per literas aut per legatos crebriùs inter se colloquuntur, & alter alterius commodis servit: quod si non fiat, paulatim ipsa deletur amicitia.

CAPUT III.

Præcepta de Amicitia.

Sectio Prima.

Quotuplicia sunt Præcepta de Amicitia?

TRiplicia: quædam enim sunt de ea contrahenda, quædam de ea conservanda, & colenda, quædam denique de eadem, si opus sit, dissolvenda. Tradenda autem inprimis sunt præcepta de amicitia ex virtute, quæ verè hoc nomen meretur, eaq; ad vulgares, quatenus licet, sunt accommodanda: & primò quidem de ea, quæ est parium, tum de ea, quæ imparium, agendum est.

Quænam sunt præcepta de ineunda vera amicitia?

Primum, ne cuivis manum injicias, sed probè mores ejus ac fidem explores, cum quo arctiorem vis contrahere amicitiam. Vnde ajunt, *multos salis modios esse comedendos, donec amicitia hæc penitus coalescat.*

Quibus in rebus fides amicorum est spectanda?

In secretis tegendis, in pecuniis & honoribus amici causâ negligendis, & maximè in adversis. *Amicus* enim *certus in re incerta cernitur.*

Qua verò ratione ea est exploranda?

Omnium tutissima via est, ut inquiras, quomodo illi adversus amicos suos sese gesserint, aut adhuc gerant. Nam tales illos erga te fore spes est, quales erga alios fuerunt.

Quod est secundum de contrahenda amicitia præceptum?

Vt tot

Vt tot tibi accersas amicos, (intellige intimos) quot unà tecum atque inter se familiaritatem colere commodè possunt, & libenter vellent, & quorum usibus inservire queas: utrumque enim horum ius amicitiæ veræ postulat. Amicorum vulgarium, cum quibus adeò familiariter vivere non est opus, major potest esse numerus.

Sectio Secunda.

Quænam sunt præcepta de amicitia colenda & conservanda?

PRimum est, ut in amore tum fervor sit, tum constantia, & magnus voluntatum consensus.

Qua in re amorũ fervor cernitur?

In eo *primùm*, ut alter alteri optima quæque cupiat, nõ secus ac sibi ipsi, & ut ea consequatur amicus, sedulam det operam. *Deinde* in eo, ut alter alterius rebus secundis æquè lætetur, ac suis, adversis æquè tristetur.

Qua in re voluntatum consensus?

Primò in eo, ut alter alterius studiis non libenter adversetur, sed obsequatur potiùs, quando honestè licet, & iisdem delectari se ostendat, vel saltem ea haudquaquam improbare. *Secundò*, ut sententias ejus & consilia non carpat, sed vel approbet, vel si licet, iis cedat, vel ita modestè ac civiliter repugnet,

Tract. de Amic. gnet, ut flectere potius amicum conetur, quàm vi aliò rapere; non acerbè, non ambitiosè, ac pertinaciter sua defendat. *Tertiò*, ut amicus dissentientem aliqua in re amicum æquo ferat animo.

Quod est secundum de amicitia colenda præceptum?

Vt officiorum sit vicissitudo & paritas, quantum quidem res amicorum ferunt: magis enim voluntas spectanda est, quàm res ipsa, si facultas majora præstandi desit. Observabitur autem hîc præceptum, si talis in amicum sit quisque, qualem esse vellet amicum in seipsum.

Quænam sunt officia quæ amicus amico debet?

Ea ex doctrina de Beneficentia inprimis sunt petenda, referunturq; ad hæc duo, ad Consilium & Auxilium, quod partim in malis avertendis, partim in bonis & utilibus parandis cernitur. Maximum autem, quod amicus amico debet, est, ut animam pro ipso ponere, seu vitam in discrimen adducere non dubitet: qua de re videatur doctrina de Fortitudine.

Quo tempore maximè desideratur amicorum officium?

Tempore adverso: tum enim promptissimè amico succurrendum est, isq; solatio erigendus, consilio instruendus, operâ juvandus est,

dus est, & periculorum malorumq; societas non defugienda. Tract. de Amic.

Quænam hic cautio est adhibenda?

Prima est, ne vel amici causâ peccemus, &, quicquid ille petierit, faciendum putemus; vel etiam rogemus amicum, ut nostri juvandi causâ peccet. Honesta tum petenda sunt ab amicis, tum eorum causa facienda. Possunt autem nonnulla fieri amicorum causâ honestè, quæ nostri ipsorum causa non satis honestè faceremus; ut *superbo alicui Tyranno humiliter supplicare pro amico vir magnus potest, pro se ipso non satis decorè.* 2. Cavendum, ne præpostero amici amore aut desiderio impulsi, virtutibus aut commodis ejus obstemus, quod ii faciunt, qui egregia eorum facinora, quia periculosa sint, & laboris ac molestiæ plena, aut necessaria eorum itinera, quia ipsi absentiam eorum ferre nequeunt, impedire conantur, id quod non virorum prudentium, sed mulierum est.

Quod tertium est de colenda amicitia præceptum?

Vt libenter cum amicis converſemur, & colloquamur, si præsentes sint, coràm; si absentes, per literas aut legatos.

Quomodo in amicis vel accersendis vel adeundis nos gerere debemus?

Quod ad accersendos amicos attinet I. ad res nostras lætas eos libenter ac promptè debemus

debemus advocare, ad tristes inviti ac cunctanter. II. tum etiam eosdem advocare debemus, cùm ii parva molestia suscepta prodesse nobis multum possunt: tum enim eos non accersere, esset illorum fidei admodum diffidere.

Quod ad amicos adeundos attinet I. in rebus eorum adversis eos ultrò ac promtè adire debemus, nec expectare dum vocemur. II. florentibus ipsorum rebus beneficii accipiendi causa cunctanter, eos aliqua in re juvandi causa promtè debemus adire.

Quænam in familiari convictu, & colloquiis sunt observanda?

Ea in virtutum homileticarum præceptis fere sunt exposita. I. enim requiritur in sermonibus veritas,candor ac fides: fucus & simulatio amicitiæ inimica sunt. II. requiritur taciturnitas, præsertim in secretis tegendis, sermonibus ac factis amicorum non eliminandis, quare fiat, ut amicus cum amico adeò audacter possit loqui, atq; secum ipso. III. requiritur comitas, quæ suavitatem in convictu sectetur, amicum soletur, vacillantem erigat, admoneat etiam, si sit opus: qua de re comitatis videantur præcepta. IV. morum requiritur suavitas & elegantia quædam, vitandaq; est rusticitas & sordes hominibus politioribus graves.

Quod

Quod est quartum de colenda amicitia præceptum? Tract. de Amic.

Ne sinistris de amico suspicionibus indulgeamus, & ejus virtuti ac fidei temerè diffidamus: non quælibet ejus facta dictavé, quæ incauto fortè exciderunt, in crimen trahamus, aut ad contemptum nostri pertinere arbitremur; sed æquitatem adhibeamus in judicando, & in meliorem potiùs partem dicta & facta amici accipiamus.

Quod est quintum?

Ne criminationes ac querelas de amicis facilè admittamus; sed eorum, præsertim absentium, famam summo studio ac fide contra calumnias defendamus, ipsi quoq; amicos non criminemur, nec facilè apud quenquam de iis conqueramur. Si quid erit, de quo eos velimus admonitos, id faciamus secretò, laudemus palàm.

Quod est sextum?

Si quos amicus habeat nævos, quos corrigere non possimus, non tamen tantos, ut amicitiam nostram debeant dirimere, eos æquiori feramus animo; ejus in nos delictis facilè ignoscamus; dissimulemus ea, quæ salva honestate dissimulare possumus, nec ei facilè talia exprobremus. Quod præceptum iis inprimis est observandum, qui cum hominibus iracundioribus aut morosioribus versantur.

Quod

Quod septimum?

Ne reprehensiones amicorum, admonitionesq; spernamus, monentibus nunquam succenseamus, rectè monentibus pareamus, consilia salutaria tum quæramus apud amicos prudentiores, tum libenter accipiamus.

Quod octavum?

Vt amicis convenientem exhibeamus honorem, eos etiam nobismetipsis præferre & in honoris significatione prævenire studeamus; omnia, quæ contemptum ipsorum arguere possint, diligenter vitemus. Vitanda tamen est nimis anxia ceremoniarum, ut vocant, superstitio, dandaq; potius opera, ut in vultu, voce, ac gestu familiaritatis ac fiduciæ erga amicos signa extent.

Sectio Tertia.

Quæ sunt præcepta de vulgaribus amicitiis colendis?

DE voluptatis amicitia vix opus est ullum tradere præceptum. Ea conservanda est convictu, ac crebra conversatione, in qua amicus ex amico eam capiat voluptatem, quam quærit.

In amicitia utilitatis hæc sunt observanda.

I. Vt in accipiendis beneficiis cautus sis, & si vel non possis, vel nolis ea compensare, non facilè à quovis accipias, etiamsi tandem is, qui affert, hostimentum expectare non videatur.

videatur. Fallunt enim ſæpè ii, qui hamata offerunt munera liberalitatis ſpecie, & dum maximè id agunt, ut aliquid recipiant, deſiderium ſuum maximè diſſimulant, qui tamen, niſi remuneres, graviter ſolent conqueri.

Cap. III. Tract. de Amic.

II. Si accipere beneficium placeat ab eo, quem remunerationem ſpectare ſuſpicaris, de compenſatione ſtatim cogites, & eo ipſo tempore, cum accipis, promittas.

III. Tantum reddas, quantum acceperis, & compenſationem nimis diu ne differas, nec extorqueri à te patiaris.

Cuinam æſtimatio beneficii eſt relinquenda?

Ei, qui accepit, niſi fortè is, qui largitur certam veluti mercedem ſtatim ſtipuletur. Aliàs qui abſq; conditione dat beneficium, ejus judicio & fidei rem totã videtur permittere.

Quid in æſtimatione beneficii eſt ſpectandum?

1. Vtilitas. 2. neceſſitas. 3. quo tempore acceperis. 4. an ab alio etiam potueris accipere, an vero ab eo ſolo, qui dedit.

Quando æſtimatio eſt facienda?

Vel tum, cum beneficium nondum eſt acceptum; vel tum, cum id adhuc recens eſt, & fructus ejus maximè ſentitur. Aliàs iniqua ſæpe fieret æſtimatio, cum beneficiorum gratia cum tempore ferè exoleſcat, & pleriq; mâjoris ea faciant, quibus indigent, & quæ

Tract. de Amic. adhuc expectant, quam quæ jam acceperunt, præsertim dudum.

Sectio Quarta.

Audivi de Amicitia parium: quid in amicitia imparium est observandum?

VT justa sit amoris, honoris, & officiorum proportio.

Qua in re proportio ista cernitur?

Hoc ut intelligas, tum superiorum erga inferiores, tum inferiorum erga superiores officium considerandum est.

Quod est officium superiorum erga inferiores?

I. Vt ii, qui opibus antecellunt, aut alio aliquo bonorum genere, quod in inferiorum amicorum commodum convertere possint, plus utilitatis in eos conferant, minus ab iis postulent.

II. Vt ii, qui dignitate antecellunt, sese ad inferiores quodammodo demittant, comitate, facilitate, modestiaq; sua eos erigant, non verò supercilio suo ac nimia gravitate à se absterreant: breviter; magis id agant, ut ab amicis amentur, quàm ut timeantur & colantur. Qua tamen in re status uniuscujusq; considerandus est, & consulendum imperii, si quod est, dignitati & auctoritati.

III. Vt iidem dignitatem suam cum amicis, præsertim iis, quos virtus aut sapientia sibi conci-

conciliavit, quodammodo communicent, & eos apud alios reddant honoratiores.

Quod est officium inferiorum erga superiores?

I. Ne superioribus invideant.

II. Vt eos, qui virtute, sapientiâ, aut alio aliquo dignitatis genere antecellunt, honorent ac colant, non verò ob familiaritatem, aut ob eorum modestiam ac humanitatem contemnant, & iis sese prorsus æquent: sed cum illorum facultate certent modestiâ, & quanto magis illi se demittunt, tantò magis eos suspiciant ac colant.

III. Vt iis, qui aliquid in se potestatis habent, obsequium præstent, & quanto major eâ est potestas, tantò magis.

IV. Vt eos, qui beneficentia, aut aliquo alio virtutis genere sunt superiores, magis ament, quam se ab iis amari postulent.

V. Si contingat, ut ii, qui beneficiis suis ipsos devinxerunt, aliquando ipsorum operam ac beneficia vicissim desiderent, iis libentissimè gratificentur, & eorum merita remunerare studeant.

Quid hinc de officio liberorum erga parentes colligis?

Liberi parentibus debent I. maximum inter mortales amorem ac benevolentiam. II. honorem ac reverentiam summam. III. obsequium promtissimum. IV. curam ac vi-

Tract. de Amic.

ctum, si parentes sibi ipsis prospicere nequeant: qua in re eousq; progrediendum est liberis, ut ipsi malint egere, quam parentes rebus necessariis destitui. Sacræ literæ hæc omnia uno honoris nomine complectuntur.

An in omnibus prorsus obediendum est parentibus?

Non, sed in iis, quæ cum honestate non pugnant: ac præterea cum de re agitur, cujus non satis gnari sunt parentes, peritiorum ac prudentiorum judicium sequi possunt liberi, sed ita, ut quam modestissimè à parentum judicio discedant, non verò ita agant, ut imperitiæ parentum illudere, vel auctoritatem spernere videantur. Quod si tamen parens, is præsertim, è cujus potestate nondum exieris, omninò urgeat, ut suum potius sequaris consilium, ita ut gravis sit sequutura offensio, nisi ei morem geras, ex ejus autem consilio non sit magnum aut irreparibile damnum ad te rediturum, in commoda tua potius peccare debes, quam parentis spernere voluntatem.

An quivis honores patri potius, quam alii alicui sunt deferendi?

Non, sed ii tantum, qui ei conveniunt. Aliàs honores ac munera sive in Republica, sive in Ecclesia dignioribus potius sunt deferenda & peritioribus, qui ea majori cum fructu possint obire, nec committendum, ut privatus a-

tus amor publicis commodis obſtet.

Quid diſcipuli debent præceptoribus fidelibus?

Similia iis, quæ parentibus debent liberi, habita tamen ratione meritorum, quæ in nos contulerint. Digna eſt Ariſtotele vox: *Deo, parentibus ac præceptoribus dignum perſolvi præmium non poſſe, tribui tamen id debere, quod poſſimus, maximè honorem.* Ii enim ſunt, qui maxima in nos conferunt beneficia: Parentes ut vivamus; præceptores unà cum illis ut benè ac feliciter vivamus, curant; utrumq; autem per illos præſtat Deus.

Annon officia etiam ſubditorum erga magiſtratus, ſervorum erga Dominos, uxorum erga maritos, & contra horum erga illos huc pertinent?

Pertinent: Sed ea obſervato uniuſcujusq; ſtatu ex generalibus præceptis paulò ante traditis colligi poſſunt. Quis autem ſit uniuscujusq; ſtatus in Politica & Oeconomica, quibus Theologia quædã addit, explicatur.

Quid ex præceptis de amicitia colenda hucusq; traditis colligi poteſt?

Cauſæ, quæ amicitiam aut conſervant, aut corrumpunt. Ea enim, quæ hactenus præcepimus, ſi ab utraq; parte obſerventur, amicitiam conſervant; ſi omittantur, labefactant, aut penitus abolent. In univerſum autem peſtes amicitiæ ſunt avaritia, ambitio, & contemtus amicorum ob fortunæ proſperitatem,

tatem, perfidia, diffidentia, ſimulatio, iracundia, moroſitas, ſilentium nimis diuturum.

Sectio Quinta.

Quid eſt obſervandum in amicitia diſſolvenda?

PRimò cauſa, ob quam ea ſit dirimenda; deinde modus.

Quam ob cauſam amicitia jure diſſolvitur?

Cùm ea non amplius habet amicus, aut præſtare non vult, ob quæ amicitia inter nos & illum conſtabat, & ea, quæ antea præſtitit, tantam vim non habent, ut iis etiam ceſſantibus nos ei nihilominus devincti eſſe debeamus: qualia ſunt parentum, aliorumq; in nos merita. Iuſtiſſima autem cauſa eſt, quando amicus, cum quo noſtra nos conjunxit voluntas, à virtute ad inſanabilem deſciſcit improbitatem; nam tum ab ejus familiaritate abſtinendum eſt, tum ne ei evadamus ſimiles, tum ne videamur. Parentum & aliorum benemeritorum, itemq; eorum, qui imperium aliquod in nos habent, quod ex arbitrio noſtro non pendeat, amicitiæ penitus renunciare nunquam poſſumus.

An aliàs nunquam diſſolvi poteſt amicitia?

Interdum ipſa amicitia ſponte ſua ceſſat, cùm inter amicos vel ob locorum diſtantiam, vel ob nimiam dignitatis ac conditionis diſcrepantiam non poteſt coli familiaritas, ut, ſi

ut, si condiscipulorum alter sordido vitæ generi sese addicat, alter ad summos honores perveniat.

Quis est modus dissolvendi amicitiam?

I. Observandum est, ne protinus amicum, etiam in vitium aliquod prolapsum, deseras, sed tam diu in eo ad frugem revocando labores, donec tandem videas, iam esse conclamatum.

II. Si vel ob locorum distantiam, vel ob dignitatis discrimen dissolvatur amicitia, pristinæ tamen conjunctionis memoria retinenda est, & favore saltem ac benevolentia majore prosequendus est amicus noster vetus, quam ignotus aliquis.

III. Cavendum est, ne amicũ perfidè videamur deseruisse: quod accidit, si amicum in rebus ejus adversis, cùm aliàs operã nostram non injuria videatur postulare, deseramus.

CAPVT IV.

Quæstionum de Amicitia Explicatio.

Vtrum similitudo, an verò dissimilitudo magis conciliat amicitias? Quæstio I.

Similitudo magis: nam ea per se, ac naturâ suâ conjungendi vim habet. Vnde vulgò dicitur: *similis simili gaudet; graculus graculo assidet; æqualis æqualem amat.* Dissimilitudo per

Tract. de Amic. accidens tantùm conjungit, quatenus nempe contingit, ut ii, qui dissimiles inter se sunt, vel mutuis commodis ac honoribus non obstant; vel etiam facilius sibi mutuò ea præstare possunt, quæ uterq; desiderat. Nam aliàs cùm eorũ, qui idem fortè artificii gen⁹ tractant, alter alterius laudi, honori, aut commodis obstat, vel alteri id præstare non potest, quo is eget, similitudo vim quandam ad disjungendas amicitias habet; hinc ista: *figulus figulum odit, cantor cantori invidet.*

Quæstio II. *An benemerito potius, quàm viro bono succurrendum est, si utrique nequeas?*

Generatim loquendo, benemerito potiùs, quàm viro bono: interdum tamen, circumstantiis ita postulantibus, contrà faciendum est. Istud patet, quia debita reddenda potius sunt creditoribus, quàm alteri, licet viro bono, donandum: at benemerito debetur remuneratio. Hoc patet, quia contingere potest, ut vir bonus in longè graviori periculo sit constitutus, quàm benemeritus, & Ecclesiæ vel Reipub. longè sit utilior, & præterea alio tempore liceat beneficium compensare benemerito: tum enim honestas svadet, ut viro bono potius succurras, quàm bene merito. quemadmodum enim non quovis tempore reddendum est debitum, sed suo; ita & beneficium.

An a-

An amicorum inimicis nos quoque inimici esse debemus? Quæstio III.

Non: nam & Christiana id prohibet pietas, & ratio dissvadet: (1.) quid si enim alter ille sit innocens, aut de me optimè meritus? (2.) pari ratione deberem etiam eum odisse, qui cum altero fortè amico meo inimicitias exercet, & sic utrique vel ob unius odiũ esset valedicendum. (3.) Quin potius in utriusque amicitia perseverare debeo, ut eos tantò faciliùs in gratiam reducam, ut delinquentes corrigam, quæ res Reipub. nonnunquam valde utilis est, imò necessaria. At qui cum altero conspirat adversus alterum, aditum sibi ad eum reconciliandum intercludit. Denique necessitas interdum cogit in inimici tui amicitia perseverare, ut si is sit pater, magistratus, conjux, dominus, aut alius, cui renunciare non liceat.

Sed quomodo se gerere debet is, qui cum amici sui inimico amicitiam colit?

Non debet adversus alterum conspirare, sed ejus potius causam apud inimicum agere, & eum in gratiam cum altero reducere.

An vir bonus seipsum maximè debet amare? Quæstio IV.

Partim debet, partim non debet, pro diverso genere amoris, quo quis seipsum complecti potest.

Quotuplex ergo est amor sui?

Duplex: alter honestus est, vulgo ferè ignotus; alter inhonestus, sed vulgò notissimus.

Quinam est amor sui honestus?

Cum quis bona vera, hoc est, sapientiam, virtutem, ipsamq; immortalitatam, & si quæ sunt alia cælestia divinaq; munera, sibi vehementer optat, eaq; parare magna animi contentione laborat: bona vulgaria aliis potius relinquit, cum honestè potest, quam sibi sumit. Hoc qui facit, is mentem, cujus bona præcipuè quærit, adeoq; seipsum verè amat. Quisq; enim id maximè est, quod in ipso est præstantissimum, & qui istud amat, se revera amat. Hoc amoris genere vir bonus seipsum maximè amare debet.

Quis est amor sui vitiosus?

Cùm quis neglectis veris ac solidis bonis, vulgaria & evanida, honores, pecunias, voluptates corporis sectatur, & in iis potiora sibi vindicat: qui amor corporis est, non mentis, & vix philautias nomen meretur, quod tamen vulgò solus obtinet, quia solus ferè notus est. Hoc amoris genere non debet seipsum maximè complecti vir bonus.

Annon cum amore sui pugnat pro aliis vitam ponere?

Cum posteriori pugnat, sed non cum priori, quem verum sui amorem diximus; imò cum hoc maximè consentit: nam qui istud facit,

facit, vitam quidem prodigit, sed id, quod honestissimum ac præclarissimum est, sibi sumit; & brevem quidem, sed magnam voluptatem, quam ex tam insigni facinore capit, diuturnæ, sed exiguæ præfert; brevem, sed honestissimam vitam anteponit longæ ac minus gloriosæ; deniq; quod omnium maximum est, & ex religione Christiana petitum, immortalem vitam mortalis jactura quodammodo redimit, & ad supremam gloriam aditum sibi patefacit, qua de re explicatiùs Theologia agit. Idem ferè dicendum est de eo, qui vulgaria bona aliis honestè relinquit, aut minorem sibi eorũ partem vindicat.

An etiam amicitia quædam potest eße unicuiq; secum? Quæstio V.

Potest, sed impropriè dicta, quæ tamen veluti norma quædã esse debet amicitiæ veræ.

Qua in re consistit?

In his quatuor. I. ut quis seipsum maximè velit esse salvum & incolumem, præsertim ejus partis ratione, quæ est omnium præstantissima. II. ut bona vera sibi & cupiat & tribuat maximè. III. ut sibi ipsi maximè consentiat, & ante facta & post facta. Ante facta, ne secum ipse in consiliis luctetur, certante hinc ratione, illinc appetitu, & nunc hoc, nunc illa vincente. Post facta, ne id, quod antea probârat, postea improbet, & cupiditas

piditas fortè gaudeat, ratio doleat. IV. ut secum libenter vivat, hoc est, animum, consilia, factaq; sua recognoscere, & secum expendere non horreat, imò magnam ex ea re capiat voluptatem, quia & facta & consilia sint honesta & laude digna. Hæc omnia in vera amicitia locum habent. *Amicus* enim *est alter idem*. Itaq; quemadmodum quisq; erga se ipsum affectus est, ita erga amicum esse debet.

In quosnam hæc amicitia cadit?

In viros bonos, & quidem quo meliores fuerint, tanto magis: in cæteros non nisi eatenus, quatenus aliquid cum viris bonis habent commune: in extremè improbos vix ullo pacto. Itaq; amicitia etiam, quæ viro bono est secum ipso, norma esse debet veræ amicitiæ, seu ei, quæ cum altero virtutis causa colitur.

Cur in extremè improbos non cadit?

1. Quia cum in se inveniant id, quod maximè est odio dignum, quodq; eos perpetuò excruciat, nempe gravissima atq; immania scelera, vita illis molesta est, seq; ipsos superesse non admodum cupiunt, imò sæpè mortem optant, aut semetipsos è medio tollunt. 2. vera bona sibi non parant. 3. à se ipsis sæpè maximè diffident, & id, quod modo cupiêre, mox repudiant; nonnunquam alia vel-

lent,

lent, alia faciunt, & ea, quæ pernitiosa esse cernunt, propter voluptatem persequuntur; cum flagitia sua expleverunt, cupiditas lætatur, ratio, postquam aliquantulum evigilârit, dolet: cum ea impediuntur, contra accidit, modo aliquid judicii de rebus honestis ac inhonestis supersit. 4. secum ipsis versari horrent, cùm nihil in se inveniant jucundum; contra verò terreat memoria præteritorum, metus futurorum. Pænitentiâ nempe & dolore pleni sunt improbi, eosq; conscientia diris atq; æternis cruciatibus torquet. Vnde compotorum & collusorum ferè quærunt consortium, ut tempus fallant, & conscientiæ convitia minus audiant, temulentiaq; vim illius obruant: quærunt quidem aliquando solitudinem, sed quam diu ferre nequeunt, & quæ eos perpetuis tormentis lancinat ac conficit.

Cur benemeriti vehementius amare solent eos quibus benè fecerunt, quam contra hi illos? Quæstio VI.

1. Quia is, in quem beneficium confertur, majorem verioremq; voluptatem affert bene merito, quàm contrà hic illi. Nam qui beneficium dat, honestum consequitur, qui accipit utile tantum: at honestum amabilius est utili, & solidiorem constantioremq; affert voluptatem. 2. Quia beneficium dare difficilius est, quam accipere: at quæ majori

labore

labore constant, chariora sunt, quam quæ exiguo, aut nullo. *Quâ de causa ii, qui divitias labore suo pepererunt, vehementius eas amant, quam quibus res ab aliis relicta est. Hinc etiam matres vehementius amant liberos, quam patres, quod illis maximo constent dolore.* 3. ex naturâ petita est: quia quisq; videtur magis opus suum amare, quam opificem opus, si sensu sit præditum: nempe quia opus argumentum est vitæ opificis sui, & ingenii ipsius quædam veluti imago, in qua se ipsum contempletur. *unde Poetæ carmina sua amant, non secus, ac parentes liberos suos.* 4. Quia is, qui beneficium dedit creditoris est instar, qui accepit debitoris: at creditor magis vult salvum esse debitorem, quàm contra hic illum; ille, ut suum recipiat; hic, ne reddere cogatur. Sed hæc ratio ad illos tantum pertinet, qui utilitatem vel solam, vel maximè in amicitia quærunt.

An eædem sunt causæ cur parentes magis amare soleant liberos, quam contra hi illos?

Maximè huc pertinent secunda & tertia, prima minus: ultima non nisi in improbis liberis locum habet. Sed istis hæ quoq; addi possunt: 1. Quod liberi pars quædam sunt parentum, non parentes liberorum; vel ut Rutheni dicere solent: quia sangvis parentum in liberis est, non liberorum in parentibus. Non est autem dubium, quin eum vehementi-

mentius ames, qui pars tui eſt, tuusq; ſangvis, quam eum, qui non eſt. 2. Quia parentes certius nôrunt liberos ſuos, quam contra hi illos. 3. Quia amor parentum erga liberos ab ipſo eorum ortu incipit, & ipſo augetur uſu: at liberorum amor tum demum incipit, cum parentes eorumq; in ſe amorem ac beneficia agnoſcere poſſunt.

Cur convictus amicorum ad morum ſimilitudinem efficiendam tantum habet robur? Quæſtio VII.

1. Quia quisq; ea ſtudia, easq; actiones, quibus maximè delectatur, in convictu cum amico exercere, & eum tum exemplo, tum perſuaſionibus ad easdem pertrahere ſolet. Eſt enim convictus conjunctio quædam ac communicatio vitæ, ſeu actionum iſtarum, quas libentiſſimè exercemus, & propter quas vitam putamus expetendam. *Itaq; ii, qui potu delectantur, cum amicis compotare; qui aleâ, ludere; qui armis, pugnare; qui venatione, feras ſectari; qui literis, diſputare ſolent.* Quare ſi amicus rebus honeſtis delectetur, virum bonum te efficiet, ſi turpibus improbum.

2. Adde quod hominis ingenium ad imitandum admodum eſt proclive: ſolemus autem eos in primis imitari, quos amamus, & quorum exempla crebriùs ante oculos verſantur. Tales verò ſunt amici, cum quibus familiaritatem quotidiè colimus. Quanquam verò

Tract. de Amic. verò tum ad virtutem, tum ad vitium magnam vim habent crebri cum amicis congressus; majorem tamen habent ad vitium quam ad virtutem. Vitium enim in proclivi est, imò in præcipitio: virtus in arduo; potestq; hîc illud usurpari poetæ:

——— ———Facilis descensus Averni:
Sed revocare gradum, superasq; evadere ad auras
Hoc opus, hic labor est.

FINIS ETHICORVM.